




UC-NRLF
$B 29 971


SIGILLVM·VNIVERSITATIS·CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE

FONTIBUS GEOGRAPHICORUM STRABONIS

COMMENTATIONES DUAE,

REGIAE SOCIETATI SCIENTIARUM EXHIBITAE

AB

ARNOLDO HERMANNO LUDOVICO HEEREN

ORDINIS GUELFICI EQUITE

REGI A CONSILIIS AULAE, HISTORIARUM PROFESSORE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA.

GOTTINGAE MDCCCXXIII.

APUD HENRICUM DIETERICH.

DE

FONTIBUS GEOGRAPHICORUM STRABONIS

COMMENTATIO PRIOR

AUCTORE

A. H. L. HEEREN.

PRAELECTA IN CONSESSU REG. SOCIETATIS AD D. 5. AUGUSTI MDCCCXX.

Absoluta iam quatuor commentationibus disquisitione de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi, alium iterum scriptorem, non minus grauem, simili censurae subiicere propositum mihi est, Sodales, Geographorum nempe antiquorum principem *Strabonem*. Si enim leges Societatis nostrae postulant, vt in disciplinis historicis hoc maxime propositum sibi habeat, vt ad seueras critices leges rerum gestarum memoria reuocetur, minime alienum duco a consiliis eius hoc studiorum genus. Pendet enim, si eos scriptores exceperis, qui velut Thucydides, Sallustius et alii, res gestas quibus ipsi aequales essent, descripsere, reliquorum, qui eas nec visu nec auditu perceperant, sed ex monumentis scriptis hauserant, fides, ex delectu ducum quos sibi praeeuntes habuere. Quare, si de earum auctoritate certum iudicium ferre velis, illud primo postulamus, vt quos fontes adierint, exploretur; ac tunc demum historiam antiquam certis fundamentis superstructam esse putabimus, cum eorum tradita vnde petita sint, declaratum fuerit. Longius quidem patet hic campus, quam vt a

me ſolo peragrari poſſit; quantum tamen in me eſt, pergam in decurrendo ſtadio quod ſemel ingreſſus ſum; et ſi integrum illud conficere mihi non datum ſit, ſuccedent forte alii, qui eam laudem vindicabunt Societati noſtrae, ſuis ſtudiis deberi, vt exploratum habeamus, quatenus antiquitatis memoria certa, quatenus dubia, quatenus plane nulla ſit.

Strabo, in Cappadociae vrbe Amaſea nobili genere ortus, Auguſti et Tiberii aequalis, duo reliquerat opera admodum inſignia, alterum Hiſtoricum, quod fata nobis inuidere; alterum Geographicum, quod quidem ad tempora noſtra peruenit; non tamen ſine lacunis; quae, niſi meliores forte codices manuſcripti ex bibliothecis eruantur, non amplius expleri poſſunt. In commentariis hiſtoricis opus Polybii, vsque ad Caeſaris ſaltem caedem, continuauerat; locuti autem ſumus de his in commentationibus noſtris in Plutarchum [1]; hic tantum de Geographicis ſermo erit.

Antequam autem ad explorandos fontes Geographicorum procedere poſſumus, praemonenda erunt nonnulla de ipſo ſcriptore, de operis eius conſilio et natura. Huius enim diſputationis non eandem prorſus eſſe indolem quae prioris *de fontibus vitarum parallelarum Plutarchi*, et quae hanc praeceſſit *de fontibus Iuſtini, vel Trogi potius Pompeii*, quem ille in compendium redegit, facile in oculos incurrit. Enarrat Plutarchus virorum, qui longe ante eum vixerant, res geſtas; deſcribit Strabo faciem orbis terrarum, qualis ſua aetate eſſet. Pendebat ille totus ex ſcriptoribus, quos ſibi duces elegerat; Strabo contra, quamuis et ipſe in multis ad aliorum teſtimonia recurrere debuit, multa ſuis oculis viderat, ac propria auctoritate tradere poterat. Bene itaque haec diſtinguenda eſſe nemo non videt; quare illud primo accuratius

1) cf. Commentat. IV.

definiendum erit, quas regiones ipse adierit vel ex aequalium saltem narrationibus descripserit; quas contra ex auctorum tantum traditis cognitas habuerit? Minime autem hoc ignorare voluit Strabo lectores; pluribus enim locis de peregrinationibus suis loquitur. Praeeuntes enim in hoc sibi habuit Polybium et Posidonium, qui et ipsi regiones quas descripsere prius adierant; ad quorum exemplar, quod infra monebimus, inprimis sese composuisse videtur. Quas autem peregrinationes instituerit, antequam ad Geographiam scribendam sese accingeret, ipse nos edocet libro secundo [2]. "Exponemus, inquit, tum quae ipsi obiuimus terra marique, tum de quibus aliorum scriptis vel narrationibus nobis fides facta est. Ipsi obiuimus versus occasum ab Armenia vsque ad Etruriae loca Sardiniae opposita; versus meridiem ab Euxino ponto vsque ad fines Aethiopiae. Neque vero, addit, reliquorum qui situm terrae descripserunt, quendam facile inuenies, qui dicta interualla obeundo, multa plura quam nos praestiterit; nam qui in occidua plaga plura viderunt, orientalium non tantum quantum nos attigerunt; (in quo procul dubio Polybium ac Posidonium respicit;) contra alii pauciora in occasu; quod idem de septentrione et meridie affirmo." — Discimus inde, Strabonem in Asia visitasse omnem Asiam minorem; (in qua quoque Amasiae natum eum fuisse, supra iam monuimus;) Syriam praeterea cum Phoenicia, in Africa vero omnem Aegyptum vsque ad Aethiopiae fines; i. e. vsque ad vrbem Syenem ac Nili Catarrhactus; (vbi quoque Aelio Gallo qui expeditionem in Arabiam suscepit, amicitia iunctus fuit;) denique in Europa omnem Graeciam cum insulis; Macedoniam ac Italiam; excepta tamen Gallia cisalpina ac Liguria. In reliquis terris describendis pendebat vtique ab aliorum testimoniis siue scriptis, siue quae sermonibus perceperat.

2) *Strabo* lib. II. p. 177 edit. Almelov. quam semper sequimur.

"Omnino vero, inquit [3]), pleraque vt illi qui nos antecesserunt, ita nos quoque auditu percepta composuimus." Quae si tecum reputes, inde iam quid a Critico, qui Strabonis Geographicorum fontes explorandos sibi sumit, quid non, exspectari poterit, apparebit. Siue enim terras spectes, quas ipse adiit Strabo, siue reliquas, minime omnia ex libris scriptis depromta sunt; sed multa quoque, ac fortasse plurima ex testium, qui oculati aderant, narrationibus. Et haec quidem ad auctores suos referre, nisi forte Strabo ipse eos indicat, frustra tentabis; subsistendum itaque erit in eo, vt quae ex commentariis scriptis deriuata sunt, auctoribus suis reddamus. Sunt vtique multa in his, in quibus dubius haereas; plerumque tamen scriptores, quos sibi duces elegerat, ipse indicat Strabo; longe in hoc diuersus a Iustino, qui eos nunquam, et a Plutarcho, qui eos interdum tantum laudauit. Res autem nostras ita instituemus, vt sequamur quidem ordinem librorum; respectu tamen simul habito terrarum seu regionum, vbi descriptio eiusdem terrae per plures libros continuatur; ne eadem saepius repetendo taedium paremus lectoribus. Repetendum enim hic quoque duco, quod iam in commentationibus Plutarcheis professus sum, certum ac stabile iudicium de fontibus scriptoris tunc demum ferri posse, si ad singula descendas; ac his demum pro viribus exploratis, licere, de autoritate eius in vniuersum pronuntiare. Distinxit autem Strabo, quod nemo non probabit, topographiam seu descriptionem singularum terrarum a Cosmographia; seu descriptione orbis terrarum in vniuersum. Huic ex septendecim libris duo priores; reliquos quindecim Chorographiae destinauit. Complectetur autem haec nostra disputatio hodie *decem* libros priores; i. e. Cosmographiam cum Europae terrarum descriptione; reliquos *septem*, Asiam et Africam continentes, proximae disputationi reseruamus.

3) p. 178.

LIB. I. II.

COSMOGRAPHIA.

Praemisit itaque Strabo descriptioni singularum terrarum capita nonnulla generalia, quae libro primo et secundo continentur. Exhibet primo recensum auctorum, qui ante eum de geographia bene meriti fuerant; quae in iis laudanda quae reprehendenda sint, subiungit; suumque adeo de iis iudicium interponit. Excipiunt haec versus finem libri primi disquisitiones de figura, ambitu ac magnitudine, orbis terrarum ac terrae maxime habitatae; quae libro secundo continuantur; vt et de Zonis seu diuisionibus orbis terrarum; adeoque omnino ea capita, quae ad geographiam tum mathematicam tum physicam vniuersalem pertinent. Scriptores vero, qui de hisce egerant, non modo nominat, sed recenset quoque Geographus; vt si de fontibus horum librorum quaeris, nihil fere sit, quod incertum vel obscurum maneat.

Incipit autem Strabo ab *Homero;* cuius apud eum tanta auctoritas est, vt eum non poëtarum modo, sed geographorum quoque principem ponat. Aduersantes sibi in hoc vero habuit nonnullos seriorum geographorum; defensionem itaque contra eos suscipit Homeri; cui maiorem libri primi partem destinauit. Nimium quidem nostrum Homero tribuere, vix negaueris; certe enim in eo falsus est, quod fabulosa, quae apud poëtam legimus, omnia ad veritatem reuocare velit; ceterum imaginem locorum ac regionum quas ipse viderat poëta mira veritate ab eo exhibitam esse, concedunt omnes; erant vero haec eadem loca, quae perlustrauerat quoque Geographus; quid itaque mirum, cum vbiuis veritas descriptionum poëtae animum percelleret, eum admiratione eius fuisse abreptum? Praeterea, cum non praesentem tantum terrarum statum depingere, sed qualis antiquitus fuerit quoque docere sibi propositum haberet, non vituperandus est, si de Ho-

meri auctoritate, quem sibi in hisce ducem principem elegerat, disputationem institueret. Inquirit itaque in libro primo in Homeri sententias de Oceano; de terrae figura ac ambitu; de partibus terrae, quas cognitas habuerit; eumque contra criticorum reprehensiones defendit; eorum maxime, qui poëtam non docere, sed delectare tantum debere contenderant. [4]). Subiungit hisce recensum eorum, qui post Homerum geographia tractanda inclaruere; simulque rationes addit, quare in multis meliora tradere possit, cum bellis Parthicis, Mithridaticis et Germanicis, tum magna Asiae pars aperta, tum Europae occidentalis ac septentrionalis regiones ad Albim vsque fluuium exploratae sint [5]). Redit tunc iterum ad Homerum ac Homericam poësin; vt quatenus ea pro fonte geographiae ac historiae haberi possit, accuratius ostendat. Quamuis enim multa in ea fabulosa insint, his ipsis tamen subesse fundum veritatis; ac minime omnia quae mythica sint pro confictis habenda esse; quod pluribus exemplis, nauigatione inprimis ac erroribus Ulyssis, ostendit. Obloquitur inprimis Eratostheni, qui Homerum in Geographicis eodem numero, quo alios poëtas, habuerat; eumque de remotis potissimum monstrosas fabulas finxisse, contenderat. Fabulas enim de terris longinquis perexiguam tantum esse eorum partem, quae de Graecia, de Insulis, ac Asiae obiacentis regionibus verissime tradiderit. Nec minus accurate Homerum locutum esse de ventis, de Zonis, de populis australibus, Aethiopibus scilicet; ac septentrionalibus seu Hyperboreis. Nec, si forte multa silentio praeterierit, inde poëtam ea ignorasse statim concludi posse; quod inprimis Argonautarum expeditionis exemplo declaratur [6]).

Exposita iam sua de Homero eiusque geographia sententia, ceteros quoque scriptores, qui de geographia vniuersali inprimis

4) p. 13. 5) p. 178. 6) p. 37 etc.

meriti erant, recenset geographus; nostrum itaque erit breuem eorum notitiam exhibere, ne infra eadem saepius nobis repetenda sint; saepe enim in sequentibus quoque libris ad eos prouocat Strabo. Distinguit autem ipse antiquiores, qui florentibus Graeciae rebus scripserant ab iis, qui Macedonum ac Ptolemaeorum aetate floruerant [7]). Primos vero post Homerum nominat *Anaximandrum* Milesium, eiusque ciuem *Hecataeum*. De Anaximandro tradit, eum primum confecisse tabulam Geographicam [8]); Hecataeum autem geographiam scriptis illustrasse. Quod ad Anaximandri tabulam attinet, ex ipsis Strabonis verbis satis apparere arbitror, eam aeri incisam fuisse. Emendasse autem dicitur Hecataeus hancce tabulam; quod procul dubio ita intelligendum est, aliam eamque emendatiorem eum confecisse; in tabulis enim aeri incisis emendationibus vix amplius locum esse, per se clarum est. Fuerunt itaque hae tabulae eiusdem generis cum illa, quam Herodoto teste Aristagoras Cleomeni, Spartanorum regi, ostendit [9]): *χάλκεον πίνακα, ἐν τῷ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμητο, καὶ θάλασσά τε πᾶσα καὶ ποταμοὶ πάντες.* Hanc vero Aristagorae tabulam nullam aliam fuisse, quam illam Anaximandri, quod suspicatur Abrahamus Gronouius [1]), et post eum alii, nihil est quod probat, ac parum verisimile mihi videtur. Apud Milesios enim, qui nauigationes longinquas ac itinera in terras remotas commerciorum causa suscipiebant, fieri omnino debuit, vt cum ipsis studiis geographicis tabularum quoque geographicarum vsus frequentior fieret. Idem euenit apud nostrates Saeculo XV; procedebant enim tunc quoque orbis terrarum delineationes a tabulis aeri seu metallo incisis, cuius insigne exemplum praebet Tabula Borgiana, medio Saeculo XV confecta; ac a me quondam in con-

---

7) p. 2. 3. 8) p. 13. 9) Herod. V, 49.

1) Creuzer Hist. ant. fragm. p. 9.

sessibus nostris explicata; cuius Apographon Volumini XVI Commentationum Societatis adiunctum est.

Hecataeum tamen non in emendanda tantum tabula geographica substitisse, sed scriptis quoque Geographiam illustrasse, ex Strabone ipso aliisque auctoribus apparet. Inter plura autem Hecataei scripta hic tantum nominanda est eius γῆς περιήγησις, hoc titulo ab Athenaeo laudata [2]). Hanc enim Strabonem ante oculos habuisse, cum Hecataeum geographiam γράμματι illustrasse dicit, non dubitabis. Diuisa ea fuisse videtur secundum tres orbis partes; quas enim singulas citatas inuenimus, Ευρώπης et Ασίας περιηγήσεις [3]), partes tantum vniuersi orbis terrarum descriptionis fuisse, admodum mihi probabile videtur.

Democritum quidem post Hecataeum inter antiquos geographos recenset Strabo; libri tamen titulo, (multa autem constat et varia eum reliquisse); nunquam addito. Lectam tamen fuisse eius Κοσμογραφίαν, constat ex Diogene Laërtio [4]); hanc itaque respexisse Strabonem cum Democritum inter Geographos nominat, certum videtur.

Democritum excipit *Eudoxus*, Cnidius, celebris Geometrer et philosophus, Platonis aequalis, de quo plura Diogenes Laërtius. Mathematicum eum vocat noster; qui terrarum figuras ac climata accurate nouerit; de Graeciae rebus bene scripserit; de Scythis vero multa fabulosa tradiderit; titulo tamen operis nunquam addito. Scripserat vero γῆς περίοδον; opus satis spissum; septimum enim librum citat Athenaeus [5]); in quo singularum quoque regionum, quatenus sua aetate cognitae essent, ac Graeciae inprimis, descriptio continebatur.

2) Athen. X, p. 447.

3) Athen. II, 70. Sunt tamen qui eas alio Hecataeo, νησιώτ, adscribant.

4) Diog. IX, 7, 13.

5) Athen. VI, p. 288.

In Graeciae quoque descriptione versata erat *Dicaearchi*, Aristotelis aequalis, opera; quem post Eudoxum nominat Strabo. Legebatur scilicet opus eius περὶ τῆς Ἑλλάδος βίου; cuius tertium librum citat Athenaeus [6]). Si itaque ex titulo res diiudicanda foret, in Graeciae tantum descriptione sese continuisset Dicaearchus. Subiunxisse eum tamen quoque mensuras distantiarum Graeciae a columnis Herculis ac alias, ex ipso Strabone discimus; quas vix constituere potuisset, nisi mensuras omnis terrae habitatae addidisset; quod in causa fuisse puto, quare Strabo eum inter scriptores citat, qui geographiam vniuersalem tractauerant.

Vltimum ex antiquioribus geographis ponit *Ephorum*; qui quatenus non modo inter historicos, sed geographos quoque locum obtineat, quaeritur. Dubitatum enim est, num Ephorus praeter historias opus quoque geographicum reliquerit; an vero historiis tantum capita geographica inseruerit? Dubitationem tamen ipse eximit Strabo; qui libro octauo statim in initio Ephorum iis annumerat, qui in communis historiae enarratione partium orbis terrarum descriptionem seorsim receperant, *velut Ephorus*, inquit, et *Polybius* [7]). Quare cum Ephorum commemorat, nullum dubium, eum celeberrimum Historiarum opus respicere.

A Geographis hisce antiquioribus seiungit Strabo seriores; Eratosthenem, Hipparchum, Polybium et Posidonium.

Quod ad *Eratosthenem* attinet, legebantur eius *Geographica*; tribus libris comprehensa; ex quibus ampla nobis fragmenta seruauit Geographus. Collecta ea sunt quondam ac ordine suo disposita a viro pie defuncto, Seidelio [8]). Vix autem est scriptor, quem

6) Athen. XIII, p. 557.

7) p. 513. cf. Fragmenta Ephori, collecta a *Mayer Marx* p. 47.

8) Eratosthenis Geographicorum fragmenta, collecta a *G. C. Fr. Seidel* Gotting. 1789. Praemissa est commentatio de Eratosthene eiusque scriptis; quam cf. p. XVI.

ſaepius citet noſter; ſiue vt tradita eius corrigat ac refellat; ſiue vt eius teſtimoniis ſua placita confirmet. Comprehendebant autem Eratoſthenis Geographica tum Geographiam vniuerſalem, mathematicam et phyſicam; tum Chorographiam, ſeu ſingularum terrarum deſcriptionem. Diſpoſita autem erant hoc ordine: Primus liber continuit Hiſtoriam Geographiae, auctorumque recenſum, tum quorum auctoritatem ſequebatur, tum quorum leuitatem reprehendebat. Praeeuntem ſibi habuit in hiſce Stratonem maxime Lampſacenum; et Xanthum Lydium. Excipiebant haec elementa Geographiae Phyſicae; vt illa aetate exſpectari poterant. In altero libro Geographiam tractabat Mathematicam; ita vt formam et magnitudinem totius orbis terrarum, praecipue autem terrae habitabilis, *τῆς οἰκουμένης* faciem, fines, longitudinem et latitudinem demonſtraret. Tertius denique liber Geographiam politicam, ſecundum tres orbis partes, Europam, Aſiam, Lybiam, earumque terras exhibebat. Addita autem erat noua Tabula Geographica terrae habitatae, emendata et correcta. Haec vero in vniuerſum de Eratoſthenis opere Geographico dicta ſufficiant.

Acrem autem cenſorem nactus eſt Eratoſthenes in *Hipparcho*; ex Nicaea Bithyniae vrbe oriundo; aſtronomo inſigni, qui primus ad Geographiam emendandam ſiderum obſeruationes adhibuit [9]). Ediderat vero contra Eratoſthenem opus: *πρὸς τὸν Ἐρατοσθένη, καὶ τὰ ἐν τῇ γεωγραφίᾳ αὐτοῦ λεχθέντα.* Tribus quoque libris Hipparchi hoc ſcriptum contentum fuiſſe videtur; librum enim ſecundum et tertium citatum inuenimus apud noſtrum [1]); vt adeo preſſo pede ſecutus fuerit aduerſarium, cum cenſuram operis eius totidem libris comprehenderet, quot illud continebat. Comparationem autem vtriusque operis inſtituit noſter libro ſecundo; vbi multa ex Hipparcho exſcripſit; ac quauis fere pagina eum laudat.

9) Strab. p. 14.

1) p. 150. et ſaepius.

Superſunt *Polybius* et *Poſidonius*. Quod ad Polybium attinet, ſi inter Geographos recenſetur, eodem hoc iure fit, quo Ephorus. Minime enim Geographiam conſcripſerat; ſed magno Hiſtoriarum operi, Ephori exemplum ſecutus, diſquiſitiones geographicas non de ſingulis tantum regionibus, quas ipſe adierat, ſed de terrae quoque habitatae figura et ambitu inſeruerat [2]).

Non plane eadem fuit *Poſidonii* ratio. Quamuis enim et ille, cum in Hiſtoriis eſſet Polybii continuator, multa iis Geographica, ac ad locorum deſcriptionem, quae ipſe viſitauerat ſpectantia immiſcuiſſet; praeterea tamen legebatur opus eius Geographicum *de Oceano*, a Strabone quoque titulo addito laudatum [3]), in quo Oceani naturam, ambitum et phaenomena deſcripſerat. Strabonem vero hunc librum in manibus habuiſſe, ac non in vnico tantum loco, quo eum titulo addito nominat, ſed in multis aliis eo vſum fuiſſe, infra apparebit. Longe tamen plurima, quae libro maxime ſecundo ex Poſidonio exſcripſit, non ex commentario de Oceano, ſed ex magno Hiſtoriarum opere, cui quantum tribuerit noſter infra apparebit, deſumta eſſe, mihi probabile videtur; non enim ſemper quid ex vno alteroue petitum ſit declarari poteſt. Minime enim Poſidonius ſubſtitiſſe videtur in ſingularum regionum deſcriptione; ſed cum rerum geſtarum quas enarrauit theatrum omnis fere erat terra habitata, quatenus tunc cognita eſſet; non alienum putauit a propoſito ſuo geographiae quoque vniuerſalis, tum phyſicae tum mathematicae, praecepta exponere.

Enumeratis iam ſcriptoribus, quos Strabo libris duobus prioribus in manibus habuit, ſupereſt vt quantum vnicuique eorum tribuerit, et quale fuerit eius de iis iudicium doceamus.

---

2) p. 513. 3) p. 150.

Diſputat autem de iis Libro Secundo; vbi hoc ſibi in initio propoſitum habet, vt tabulam Geographicam Eratoſthenis, vltimo operis eius libro ſubiunctam, quam Hipparchus iniquae admodum cenſurae ſubiecerat, examinet. Defendit autem Eratoſthenem contra Hipparchum; qui vnice eum ex Patroclis auctoritate pependiſſe male contenderat. Multorum enim teſtamoniis vſum eſſe Eratoſthenem; ipſius vero Patroclis autoritatem minime leuem dici poſſe. Hipparchum autem ipſum in graues errores incidiſſe; tum in iis quae de terrae habitabilis et longitudine et latitudine dixerat; tum in definiendo locorum et regionum ſitu, quas iisdem parallelis ſubiectas eſſe putat; cum ſecundum eius placita Bactriana et Sogdiana vltra iam terrae habitabilis terminos ponendae forent; quod nemo, qui regionum illarum naturam nouerit, admittere poſſit [4]). Copioſiſſimus autem eſt Strabo in hac Eratoſthenis et Hipparchi comparatione; de qua iudicium ſit apud mathematicos; nam altius in hanc diſputationem deſcendere, alienum foret a conſilio noſtro.

Excipit autem hanc diſquiſitionem illa de Poſidonii commentario de Oceano, ſupra iam a nobis commemorato [5]). Examinat autem hic inprimis orbis terrarum per quinque Zonas diviſionem, a Poſidonio inſtitutam; eamque cum Polybii placitis confert. Hiſce vero explicatis iam ſuam de terrae habitabilis magnitudine et forma ſententiam proponit. Terram nempe cum mari globi formam habere, quod tamen non ſenſu ſtrictiſſimo, ſed qualis ſenſu percipitur intelligendum ſit. Diuidi autem circulo aequinoctiali in hemiſphaerium boreale et auſtrale. Figuram autem terrae habitabilis, της οἰκουμένης, chlamydiformem eſſe [6]); latitudinem vero eius definiri duobus parallelis; quorum alter ſeptentrionalis per Hiberniam tranſit; alter verſus auſtrum

4) p. 120 etc. 5) p. 150 etc. 6) p. 179.

per regionem cinnamomiferam. Nam quae vltra hosce terminos sita sint, ob frigus atque ob aestum non amplius habitari. Subiungit praeterea dimensiones interuallorum ex Eratosthene petitas, comparatione instituta cum iis quae ab Hipparcho et Polybio tradita erant; quae tamen hic repetere alienum est a proposito nostro.

Lib. III.

HISPANIA.

Expositis libris duobus prioribus Geographiae generalis locis; incipit a Libro tertio Chorographia, seu singularum regionum descriptio; quam sic instituit Strabo, vt primum in exponendis Europae terris ab occidente versus Orientem procedat, altero loco Asiae, vltimo denique Africae delineationem exhibeat. Primum itaque locum occupat *Hispania*, (qua simul Lusitania continetur); cui totum librum Tertium destinauit. Pendet autem hic Strabo omnino ex aliorum testimoniis; ipse enim Hispaniam non adierat. Quos itaque scriptores duces sibi elegerit, iam accuratius erit inuestigandum.

Primum ex his nominamus *Artemidorum* Ephesium; qui Ptolemaei Lathuri aetate floruit. Reliquerat vero opus Γεωγραφούμενα inscriptum; vndecim libris Marciano Heracleota teste contentum [7]). Frequens admodum Artemidori est apud nostrum mentio; ipse enim adierat Hispaniam; Gadibus enim se fuisse gloriatur; quamuis quae de solis occidentis ibi phaenomenis enarrauerat, non eiusmodi sint, vt fidem eius admodum augere possint [8]). Quo tamen Straboni se commendauerat, illud erat, quod distantias locorum ac mensuras itinerum accurate annotauerat, in his enim fere vnice testem eum adhibet. Si vero mensuras

7) Voss. de Hist. Gr. p. 143.

8) Strab. p. 201. 203.

a nostro ex eo enotatas contuleris, statim animaduertes raro eas ad mediterranea, sed plerumque ad littora ac insulas referri. Minime itaque dubium esse potest, opus hoc Artemidori fuisse *Periplum;* tum maris interni, tum vero Erythraei quoque ac sinus Arabici, (nam in hisce quoque regionibus ad Artemidori auctoritatem prouocat Strabo); ita tamen vt interiora quoque terrarum subinde annotaret.

Maiori tamen vsui fuit nostro in describendo Hispania *Posidonius;* in quo alterum habuit testem oculatum [9]); nam praeter alias Europae occidentalis terras eum quoque Hispaniam adiisse, supra iam vidimus. Qui autem Strabonem attentius legerit, mox animaduertet, haud exiguam libri tertii partem ex Posidonio petitam esse. Pertinent ad haec quae de Gaditanorum nauigationibus, quae de metallis eorumque copia (quae tamen rhetorice amplificata esse a Posidonio annotat Strabo); quae de tributis cum pluribus aliis, magna quoque ex parte quae de victu, moribus et indole populorum Hispaniae legimus [1]). Et haec quidem omnia desumta sunt ex Historiis, occurrunt tamen nonnulla quoque, quae potius ex libro de Oceano hausta esse videntur. Ex hoc enim fonte profluxisse quae de accessu ac recessu maris tum diurno tum menstruo ac de Lunae in eos vi, (quam primo intellexit Posidonius) legimus, dubitari nequit [2]). Ceterum eosdem fontes adiit Diodorus in iis quae libro V. de Hispania narrat; vnde non mirum, quod iam obseruarunt interpretes, eadem fere apud illum legi quae apud nostrum.

Post Posidonium nominandus est *Polybius;* tertius testis oculatus; nam is quoque Hispaniam visitauerat. Multa autem passim in libris Historiarum, tum in iis quae restant, tum in deperditis de Hispania tradiderat, quae inde excerpsit Strabo; in iis

9) p. 202. 1) p. 212 - 220. 2) p. 262.

praesertim quae de populis Hispaniae, eorumque victu et moribus enarrat [3]; in quibus Polybio plus fere quam Posidonio tribuisse videtur, ita tamen vt quae sua aetate iam immutata essent, adnotare non negligeret.

Recensuimus hactenus eos auctores, quos in Hispania describenda Strabo duces sibi primarios elegerat. Accedunt ad hos nonnulli alii, quos non vbiuis, sed interdum tantum inspexit. Leuis admodum fuit apud eum in Hispaniae rebus *Ephori* auctoritas; semel eum tantum citat libro tertio, vt quae fabulosa tradiderat corrigat [4]; omnino enim occidentis Europae plagas parum eum cognitas habuisse. *Eratosthenem* quoque rerum Hispanicarum non admodum gnarum fuisse, libro iam secundo dixerat; cuius tradita corrigit ex Artemidoro [5]. Semel, vbi Gades vrbem describit, citat *Timosthenem* quendam [6]. Fuit hic nauarchus Ptolemaei Philadelphi; ediderat vero decem libris opus de Portibus (περι πορθμων), quod adeo ad periplos pertinuisse videtur [7]. In gentium denique meridionalis Hispaniae descriptione consultaverat quoque *Asclepiadem* Myrleanum; (Myrlea Bithyniae oppidum); Pompeii aequalem; qui in Turdetania grammaticam docuerat, ac populorum Hispanicorum recensum instituerat [8]; in quo id maxime sibi propositum habuisse videtur, vt eorum origines explicaret; quare, quae Strabo ex eo desumsit, mythographum potius quam historicum vel geographum indicant. Addendus hisce est *Athenodorus* [9], de quo alio loco sermo erit. Ceterum singula loca annotare vbi Polybium, Posidonium, Artemidorum, Eratosthenem ante oculos habuit, otiosum foret, cum nomina eorum vbiuis fere addiderit.

---

3) p. 294. 215. 4) p. 202. 5) p. 221. 236. 237.
6) p. 205. 7) Voss. l. c. p. 110.
8) p. 236. 9) p. 262.

Lib. IV.

GALLIA ET BRITANNIA.

Quamuis Strabo Galliam non ipſe inuiſit, non tamen omnia ex libris ſcriptis, ſed multa quoque ex narrationibus eorum qui ibi vel mercaturam fecerant, vel magiſtratus geſſerant, vel omnino ibi commorati fuerant, repetiit. Scripſit enim ea aetate, qua iam omnis Gallia in formam prouinciae Romanae redacta erat; ac cum moribus ac inſtitutis lingua quoque Romana inualuerat. Minime itaque deerant, qui qualis tunc eſſet rerum Gallicarum conditio Straboni enarrarent; ac cum id proprie propoſitum ſibi haberet, vt praeſentem rerum ſtatum explicaret, ex eorum traditis ſuam deſcriptionem magna ex parte compoſuit. Supererant tamen alia in deſcribenda regionum natura, ac indicandis vrbium ac locorum diſtantiis, quae ex monumentis ſcriptis auctorum repetenda erant; quae tantum abfuit vt negligeret, vt in Galliae delineatione praeter eos, quos in Hiſpania conſultauerat, alios adhuc adiret.

Primum autem inter hos locum occupat *Caeſar*, in commentariis ſuis de bello Gallico; quem ſtatim in fronte, in diuiſione Galliae in tres partes, teſtem affert Geographus [1]); vnde eum praeter linguam patriam, Romanam quoque calluiſſe, ſcriptaque Romanorum legiſſe, concludere licet. Obloquitur quidem Caſaubonus, qui Strabonem Caeſaris commentarios vel non inſpexiſſe, vel ſaltem non recte intellexiſſe contendit; in finibus enim Galliarum conſtituendis diſcedere eum a Caeſare; quippe qui Galliam Barbaram ſeiungit a prouincia Romana ſeu Narbonenſi; quam Strabo, dum mari mediterraneo verſus meridiem Galliam dicit definiri, in ea comprehendit. Facile tamen haec permutare potuit Strabo; cum Caeſar *omnem* Galliam in tres partes Celticam,

1) p. 267.

Aquitaniam et Belgicam diuidi dicat; Strabonis autem aetate, cum iam omnis Gallia prouincia Romana eſſet, diuiſio in Barbaram ac prouinciam evanuiſſet. Ceterum, quamuis Strabo vnico tantum hoc loco Caeſarem eiusque commentarios nomine ac titulo addito laudat, omni tamen dubio caret, eum illos non modo inſpexiſſe, ſed diligenter quoque legiſſe; ſiquidem nemo infitias ibit ea quae de Arduenna ſilua eiusque ambitu et magnitudine, tum quae de Belgis eorumque cum Caeſare conflictu narrat, ex Caeſaris commentariis deſumta eſſe [2]); eadem enim plane Caeſar ac iisdem fere verbis libro III. commentariorum ſuorum enarrat; quod comparatione inſtituta ibi iam oſtenderunt interpretes. Quod ipſum quoque valet de Gallorum moribus et fortitudine, quae eadem libro II. commentariorum apud Caeſarem leguntur.

Praeter Caeſaris commentarios adiit vero noſter in Galliae deſcriptione eosdem fere ſcriptores, quos ſupra in Hiſpaniarum Geographia nominauimus [3]). Nam quae de fluuiis Rhodano ac Iſara, eorum oſtiis, ac regionibus interiacentibus habet, ex *Artemidoro* petita videntur. Bis praeterea citat *Poſidonium* [4]); toties quoque *Polybium* [5]); quem ſibi inprimis in Galliae Narbonenſis ſeu Prouinciae Romanae deſcriptione, de qua nihil apud Caeſarem, ducem elegiſſe videtur. Petita eſſe ex eo, quae de Ruſcinone et Illiberi fluuiis habet, bene iam viderunt interpretes [6]); praeterea vero multa alia. Polybius enim, cum, quod ſtatim videbimus, Alpes accurate deſcripſerat, regiones quoque adiacentes, eas maxime per quas Hannibal tranſierat, negligere non potuit.

---

2) p. 296. Praeclara ibi eſt Caſauboni emendatio, qui poſt τετρακισχιλίων σταδίων addita vocula δὲ noſtrum non a Caeſare diſſentire oſtendit. imo peſſima.

3) p. 282. 283. 4) p. 277. 284.

5) p. 275. 289. 6) p. 275.

Ex vno quoque alterove horum ſcriptorum ea deriuata eſſe duco, quae de priſca Maſſilienſium reipublicae forma egregie exponit noſter [7]; niſi forte in iis *Ariſtotelis* opus περὶ πολιτειῶν ante oculos habuerit; quod alio loco, titulo addito laudat [8]. Quidquid ſit, ex grauiſſimo ſcriptore haec petita ſunt; quae tamen de Maſſilienſium vrbis ſua aetate conditione, de Scholis ibi florentibus, ac litterariis inſtitutis narrat, peregrinatorum, qui ibi commorati erant, narrationibus deberi, res ipſa docet.

Ephoro, quem ſemel citat [9], parum tribuiſſe noſtrum in Europae occidentalis deſcriptione, ſupra iam vidimus. Mentio praeterea iniicitur *Timagenis* cuiusdam [1], qui de theſauris Toloſae inuentis, quae pars pecuniarum Delphis ablatarum fuerint, quas Caepio Romanorum dux abſtulit, locutus erat; ac de Galliae rebus ſcripſerat. Diſtinguendum eſſe hunc Timagenem ab Alexandrino rhetore, bene iam vidit Voſſius [2]; ceterum num idem fuerit cum hiſtorico, qui in Aſinii Pollionis contubernio conſenuit, ac linguae mordacitate ex amicitia Auguſti excidit, de quo locutus ſum in commentationibus in Plutarchum, in medio relinquo. Aſinium certe Pollionem eiusque ſcripta non ignoraſſe videtur geographus [3]; ſi modo idem eſt Aſinius ex quo Rheni longitudinem enotauit [4].

Galliam excipit apud Geographum *Britannia* cum *Hibernia*. Breuis autem admodum eſt Strabo in inſularum harum deſcriptione; quarum neutra ſua aetate Romanis erat ſubiecta. Quod ad Britanniam attinet, conſtat inter omnes, duplici Caeſaris expeditione eam primo Romanis quodammodo innotuiſſe; bella vero quibus

7) p. 270 etc.
8) L. VII. p. 495.
9) p. 304.
1) p. 287.
2) Voſſ. p. 153.
3) p. 294.
4) Voſſ. de Hiſt. Lat. p. 82.

in formam prouinciae Romanae redacta fuit, cadunt demum in Claudii eiusque succesforum tempora. Strabonis itaque de Britannia tradita vnice fere deriuata sunt ex *Caesaris* commentariis; eadem enim repetita legimus, quae ille libro V. de Britannia eiusque incolis retulerat. Accedebant tamen ad haec mercatorum narrationes; frequentia enim sub Augusti imperio Romanis per Galliam commercia intercessisse cum Britannis; legatos quoque ad pacem firmandam ab iis Romam missos esse; seque ipsum nonnullos ex Britannia aduenas ingenti statura corporis praeditos Romae vidisse, refert Strabo [5]. De *Hibernia* vero nihil se certi habere, quod dicat, ingenue profitetur; nisi quod auditu perceperit, incolas magis adhuc barbaros esse; ita vt carnibus quoque humanis vescantur; ac parentum mortuorum corpora comedant; quorum tamen fides sit penes auctores [6].

Subiungit hisce Strabo suam de *Thule* insula sententiam; quae omnium maxime versus septentrionem sita sit. Cetera omnia esse obscura [7]. Vana itaque foret disquisitio ad quam terram seu insulam tradita eius referenda sint. Depromta autem ea sunt vnice ex *Pythea*; cuius tamen narrationibus de terris borealibus ad quas nauigationem suscepit, nullam prorsus fidem habendam esse, ipse iam libro secundo monuerat [8]. Pytheas vero, si vel maxime multa fabulosa tradidit, non tamen omnia confinxit; quod vel ex paucis fragmentis apparet, quae noster ex eo seruauit. Cum enim Pytheas enarrat apud populos boreales, apud quos frumentum et mel sufficit, potum ex iis confici; porro messem et frumentum non in campis sub diu, sed intra parietes ac tecta, eum in finem constructa, perticis flagellari [9], quis non veritatis vestigia in hisce agnoscit?

5) p. 305. 6) p. 307. 7) p. 308.
8) p. 163. 9) p. 308.

Ab insulis hisce redit Strabo ad continentem; ac transitum ex Gallia in Italiam facturus, *Alpium* iuga, populosque ea incolentes describit. In hac vero Alpium descriptione vnicum sibi ducem elegisse videtur *Polybium*; ita tamen, vt quae sua aetate immutata essent, Romanorum iam ibi imperio fundato, de suo adderet. Polybius de Alpibus egerat libro Historiarum suarum deperdito, XXXV; ex quo nonnulla tantum fragmenta supersunt. Quae haec continent legimus quoque apud Strabonem; qui iterata quoque vice Polybium testem nominat *). Ipse autem Polybius, viam qua Hannibal eos superauerat inuestigaturus, visitauerat Alpes; earumque tam accuratam descriptionem reliquerat, vt meliorem ducem vix eligere potuisset Geographus.

Lib. V. VI.

I T A L I A.

Ex Gallia per Alpes transit Geographus in *Italiam*; cui duo integros libros, quintum et sextum destinauit. Italiam, vt supra ostendimus, Strabo ipse visitauit; excepta tamen parte superiori, Gallia nempe cisalpina ac Liguria. Describit itaque partim quae ipse viderat; non tamen se praesentem tantum Italiae conditionem explicare, sed antiquiora quoque attingere velle, ipse profitetur; quae adeo ex scriptorum commentariis haurienda erant. Inter scriptores vero, quos praeeuntes sibi habuit, primum nominamus *Polybium*; qui in Historiarum libro secundo tum de Italiae forma ac ambitu in vniuersum, (vbi quoque nomine addito eum laudat [1])); tum de Gallia cisalpina inprimis disputat; quem nostrum in iis quae primis capitibus libri quinti legimus, secutum esse, viderunt iam interpretes [2]); ita tamen vt statum ac conditionem regionum et urbium, qualis sua aetate esset, simul

---

*) p. 309. 318. 319. 1) p. 324. 325. 2) p. 322 Not.

ſubiungeret. In ſequentibus quoque paſſim citat Polybium; velut in dimenſionibus Etruriae [3]), nec non magnae Graeciae [4]); omnino enim in definiendis interuallis multum tribuiſſe videtur Polybio; cui in Italiae deſcriptione iungit quoque *Poſidonium* [5]), quem in Liguriae deſcriptione laudat [6]). Mox Etruſcorum mentione facta inſeritur mythus de eorum origine, quem legimus quoque apud Herodotum [7]). Quae autem de Romanorum regibus, vtroque nempe Tarquinio ſubiungit, conueniunt cum iis, quae copioſius narrat Dionyſius. Digreſſionem tunc facit de Pelaſgis eorumque ortu; quae partim ex *Ephoro* [8]), partim ex *Attidum ſcriptoribus*, (de quibus in commentationibus in Plutarchum egimus); tum denique ex *Anticlide* deſumta ſunt [9]); qui primus Pelaſgos loca Lemno et Imbro vicina obtinuiſſe, ac quosdam eorum cum Tyrheno in Italiam nauigaſſe tradiderat. Anticlides hic, ſemel tantum a Strabone citatus, quis fuerit, incertum eſt; ſi tamen idem eſt cum eo, quem Plutarchus in Alexandro laudat, conſtat ſaltem, eum poſt Alexandrum ſcripſiſſe. Legebatur opus eius ſatis ſpiſſum *περὶ νόστων*, quo reditus heroum ex bello Trojano celebrauerat; et alterum Δηλιακα ſ. de rebus Deli inſulae [1]). Ex vno alteroue eorum Strabonis de Pelaſgis tradita hauſta eſſe, (in utroque enim iis locus esse potuit), certum videtur.

Ab hoc excurſu redit Geographus ad Italiae, et primo quidem Etruriae, chorographiam. Conſultauit in ea vtique Polybium; quem in longitudine regionis definienda ab aliis diſcedere tradit [2]). Praeter Polybium tamen ſe non vnum alterumue, ſed multos inſpexiſſe, ipſe teſtatur [3]). Sunt ex his *Eratoſthenes* et *Artemidorus*, quos corrigit [4]); omnino enim quae de Etruria et

3) p. 339. 4) p. 371. 5) p. 329.
6) p. 335. 7) Herod. I, 94. 8) p. 337.
9) p. 339. 1) Voſſ. l. c. 322. 2) p. 339.
3) p. 338. 4) p. 342.

insula Aethalia tradit, non ex libris tantum, sed ex proprio conspectu hausta esse, facile lectori in oculos incurrit. Alia tamen est ratio insularum obiacentium, Sardiniae et Corsicae, quas Geographus non ipse adiisse videtur. In insularum harum dimensione definienda prima vice citat *Chorographum* [5]), saepius postea sub eodem titulo, nomine tamen nunquam addito, laudatum. Chorographus vero hic, quis fuerit, incertum est. Diserte distinguitur ab Eratosthene, Polybio et Artemidoro [6]), cuius insignis in mensuris terrarum apud nostrum est autoritas. Certum vero est, fuisse hunc chorographum non hominem graecum, sed Romanum; semper enim dimensiones non secundum stadia, sed secundum milliaria, seu millia passuum definitas inuenies. Citat autem eum Strabo vnice in Italiae ac insularum adiacentium descriptione. Mihi quidem admodum verisimile visum est, chorographum hunc neminem esse alium quam Vipsanium Agrippam, Augusti generum; qui non in rebus modo gerendis, sed scribendis quoque (commentarios enim rerum a se gestarum reliquerat); tum inprimis in geographia illustranda otium consumserat. Propositum enim ei fuisse legimus apud Plinium exhibere speciem orbis terrarum, imperii inprimis Romani, in porticu; siue tabulis ibi publice expositis, siue in ipsis parietibus; quam porticum post eius obitum a sorore eius inchoatam diuus Augustus ex designatione et commentariis Agrippae peregit [7]). Reliquerat itaque Agrippa commentarios geographicos mensuras regionum et littorum accurate exhibentes; ex quibus plura in excerptis suis, ad Hispaniae, Galliae ac Italiae descriptionem spectantia, enotauit Plinius. Sunt ex his in Sicilia maxime insula, quae cum chorographi apud Strabonem distantiis conueniunt, velut a Peloro promontorio ad Pachynum terrestri itinere [8]); ac non amplius dubius

5) p. 349. 6) p. 401. 436. 7) Plin. III, 3.
8) Plin. III, 14. cf. Strab. p. 407. 408.

haererem, nisi essent aliae, in quibus numeri differunt. Errores tamen in hisce librariorum oscitantiae saepe deberi, nemo ignorat; quod num hic quoque euenerit, nam in re incerta nil certi definire audeo, iudicium sit apud alios.

Etruscos excipiunt Umbri ac Sabini, quorum sedes Strabo ipse inspexerat. Quae de mensuris harum regionum affert, ex *Artemidoro* ni fallor petita sunt, non ex chorographo; stadiorum enim mensura adhibita est in indicandis interuallis. De Sabinis tradit eos esse indigenas; eorum colonos Picentes et Samnites; horum Lucanos; Lucanorum denique Bruttios [9]). Petita haec esse suspicor ex Antiocho; de quo statim sermo erit.

Quae de Latinorum origine, de Aeneae aduentu, de vrbis Romae origine habet [1]), conueniunt fere cum iis quae apud Dionysium ac Liuium legimus. Ex auctoribus quos consultaverat duo tantum citat, *Fabium* scilicet *Pictorem*, ac *Caecilium*, rerum Romanarum scriptorem; qui nescio an idem fuerit cum Caecilio Siculo, Augusti aetate claro, qui testibus Plinio et Athenaeo bellorum seruilium historiam, ac praeterea commentarium de iis quae secundum vel praeter historiam ab oratoribus dicta sint, graece conscripserat [2]). Attigisse eum quoque origines vrbis, ex nostro clarum est, dum Romanos a Graecis ortos esse ex sacris eorum, Herculi factis, colligeret [3]). Locus vtique hisce esse potuit in alterutro scriptorum quae modo laudauimus.

In iis, quae Geographus versus finem libri quinti, ac in initio sexti de populis ac regionibus Italiae inferioris, seu magnae Graeciae habet, plurima ex iis quae ipse viderat fluxisse, lectio ipsa docet. Immiscet tamen multa de antiquitatibus ac originibus vrbium ac gentium, ex diuersis scriptoribus petita;

---

9) p. 349.
1) p. 350 etc.
2) Voss. p. 179.
3) p. 352.

diſtantiae praeterea locorum ac menſurae diligenter annotantur. Quod ad hasce attinet deſumtae hae ſunt partim ex *Polybio*, partim ex *Artemidoro*, ambo enim nominat [4]); ad chorographi auctoritatem non hic, ſed in Sicilia demum prouocat. In populorum quoque cognatione vel diuerſitate conſtituenda interdum ſequitur Polybium; v. c. vbi de Auſonibus et Opicis ſermo eſt [5]). Multum eum quoque in rebus mythicis *Ephoro* ac *Timaeo* tribuiſſe, diſcimus ex iis quae de Cimmeriis ad locum Auernum, ac quae de Pithecuſis diſputat [6]). Primum tamen inter hosce ſcriptores locum apud eum obtinet *Antiochus*. Fuit hic Antiochus Syracuſanus; floruit vero circa Ol. 90; quadringentis fere ante Chr. natum annis; ac iure adeo antiquis ſcriptoribus annumeratur [7]). Saepe eum citatum quoque inuenies apud alios ſcriptores, Dionyſium inprimis Halicarnaſſeum, qui ſaepe ad auctoritatem eius prouocat. Reliquerat autem duo opera; alterum Σίκουλα inſcriptum, alterum Ιταλικά, ſeu Ιταλίας οἰκισμός. Illud nouem libris fuiſſe digeſtum, ac inde ab antiquiſſimis temporibus, nempe a Cocalo Sicanorum rege vſque ad annum quo Darius Nothus apud Perſas imperio potitus eſt, i. e. vſque ad annum 423 a. C. fuiſſe deductum, diſcimus ex Diodoro [8]). In Italicis, quorum initium ſeruauit Dionyſius: *Antiochus Xenophanis fil. conſcripſit haec de Italia ex antiquis monumentis quae certiſſima ac fide digniſſima viſa ſunt*, diligentiam inprimis exercuiſſe videtur in explorandis ac declarandis originibus vrbium, coloniis maxime Graecorum in magna Graecia. Teſtem enim eum adhibet Strabo, vbi de antiquioribus vrbis Elateae, Crotonis, porro Tarenti, denique Metaponti fatis agit [9]). Hiſce ſi addideris *Apollodorum*

4) p. 401.
5) p. 371.
6) p. 375 etc.
7) Voſſ. p. 456.
8) Diod. L. XII.
9) p. 388. 391. 395. 405. 406.

dorum Grammaticum, qui de catalogo nauium commentarium compoſuerat, habes fere ſcriptores, quos in Italia deſcribenda conſultauit Geographus.

In inſularum, Siciliae inprimis geographia, non minori diligentia verſatus eſt. In menſuris diſtantiarum praeter *Poſidonium* et *Artemidorum* conſultauit iterum *Chorographum* [1]), cuius tamen nomen hic quoque fruſtra quaeris. Comparauit eorum tradita; vbi differunt annotare illud non neglexit; in numeris tamen paſſim menda latere viderunt iam Caſaubonus ac alii interpretes; quae ſine meliorum codicum ope detergi nequeunt. Praeter dimenſiones in declarandis quoque vrbium originibus diligentiam exercuit, in quo praeeuntes ſibi habuit plures. Nominamus ex his primo *Ephorum*; qui vrbium Sicularum κτισεις ex temporum ordine notaſſe videtur [2]); Naxum enim et Megara primas omnium conditas eſſe ſcripſerat. Sunt alia in quibus *Poſidonium*, alia in quibus *Polybium* conſultauit [3]). Inſpexit praeterea *Timaeum* in Hiſtoriis Siculis [4]); ac ex antiquioribus *Hecataeum* [5]). Neque vero poëtas neglexit. Praeter Homerum enim laudat *Pindarum* in fabulis de Alpheo fluuio et Arethuſa [6]). Verum haec tantum in tranſcurſu commemorat; longe grauiora ſunt quae de ſtatu inſulae, qualis ſua aetate eſſet, prodidit; quae tamen non talia ſunt, vt de fontibus eorum diſquiſitio inſtituenda ſit; quippe quae non ex aliorum teſtimoniis, ſed ex iis quae ipſe viderat, profluxerunt.

Claudunt librum ſextum quae ſcriptor de extremis Italiae, Meſſapia ac Tarentinorum vrbe ac ditione, dicenda habebat. Quae de antiquitatibus Tarenti enarrat, ex *Antiocho* deſumta ſunt [7]);

1) p. 407. p. 408. 425. 2) p. 410 – 414. 3) p. 422. 4) p. 416. 5) p. 417. 6) p. 416. 7) p. 426.

quae de vrbium ac locorum distantiis ex *Polybio*, *Artemidoro* ac *chorographo*, quos non semper inter se conuenire, ac ea quae veritati proxima sibi visa sint a se data esse, ipse annotat [8]. In reliquis Strabonem non quae alii enarrauerant, sed quae ipse viderat exhibuisse, in oculos incurrit.

Lib. VII.

GERMANIA; et EUROPA SEPTENTRIONALIS.

Expedita iam Italiae descriptione iterum transit Alpes Geographus; Germaniae iam ac omnis Europae septentrionalis expositionem incepturus; i. e. terrarum a Rheno versus orientem vsque ad Tanaim fluuim et ostia Maeotidis paludis; versus meridiem autem iuxta vtramque Istri fluvii ripam sitarum; ac gentium eas incolentium; quibus integrum librum septimum dedicauit. Agere itaque incipit de regionibus, quas nec ipse adierat, nec de quibus auditu multa acceperat; sed vbi omnia ex scriptorum commentariis haurienda erant. Aliam itaque prorsus esse rationem huius libri, quam eorum qui proxime praecesserant, si de fontibus quaeris, nec eosdem duces quos in illis sequi potuisse geographum res ipsa docet. Omnino autem se in tenebris potius quam in luce hic versari, ipse profitetur. Errantem vero eum iam deprehendimus in Istri fontibus indicandis, quos ab intimo maris Adriatici recessu mille tantum circiter stadia abesse putat [9]; vt suspicio oriri possit, Draui fluvii fontes eum pro illis Istri habuisse.

Incipit vero descriptionem suam a Germania ac Germaniae populis, Rheno fluuio a Celtis disterminatis. Parum autem differre Germanos a Gallis, nisi quod feritate morum, corporis statura, ac flaua coma excellant [1]. In his et in sequentibus

8) p. 437. 9) p. 441. 1) p. 444.

dubitari nequit, eum bellorum Germanicorum scriptorem ante oculos habuisse; (hisce enim bellis innotuisse quodammodo Romanis Germaniam statim iam in libro primo professus erat) 2); cuius tamen nomen nunquam addidit. Quos scriptores itaque in hisce sibi praeeuntes habuerit, incertum est; Caesarem enim hic omnino neglexit; fuisse potius videntur ex iis qui vel Tiberii ac Drusi in Germaniam expeditiones, (quas expresse commemorat 3); vel qui Marbodui, Marcomannorum regis, Romanorum socii, res gestas exposuerunt; nouit enim non Marcomannos tantum Bohemiae incolas, sed populos quoque vicinos, Quados, Sveuos, versus septentrionem vero Cimbros, Longobardos et Gothinos, siquidem emendationes nominum corruptissimorum Xylandri et Casauboni admittere velis 4). Inuidit nobis fortuna, si Caesarem ac Tacitum exceperis, rerum Germanicarum scriptores; cum scriptis interiere quoque magna ex parte nomina; quid itaque mirum, si multa nos nescire profitendum sit? Citauerat vero Strabo libro iam secundo *Asinium*, qui Rhenum adeoque Germaniam descripserat; vnde suspicio oritur, eundem ipsi hic quoque ducem fuisse. Nouimus autem duo scriptores huius nominis; primum Augusti aequalem ac familiarem, Asinium Pollionem, qui historiam bellorum ciuilium condiderat; alterum Asinium Quadratum, quem tamen duobus fere saeculis Strabone esse iuniorem, bene iam annotauit Vossius 5). In enarratione bellorum ciuilium vix tamen Germaniae res attingere potuit Asinius Pollio; quare num proprium de iis scripserit commentarium, an vero tertius superfit Asinius, ceteroquin ignotus, in medio relinquo. Quidquid sit, illud certum manet, bellorum Germanicorum scriptorem Strabonem sibi ducem elegisse; iisdem enim finibus circumscripta est eius de

/ Imo [illegible] p. 193 Cas. A.

---

2) L. I. p. 20. 3) p. 444. 448. 4) p. 445.
5) Voss. de Hist. Latin. p. 82.

Germania narratio, quibus continebantur bella Romanorum. Regiones enim quae trans Albin. fluuium vsque ad maris Caspii fauces, (quod pro finu Oceani Borealis habebat); sitae sint, (in quas Romani arma non intulerunt); plane ignotas esse, ingenue profitetur; non enim se compertum habere quemquam littora illa praeternauigasse, aut terrestri itinere perlustrasse [6]).

Intelligenda haec tamen sunt tantum de terris septentrionalibus; nam quae magis versus austrum iuxta Danubium et Pontum Euxinum sitae erant, minime ignorauit. Nouit enim gentes ibi habitantes, Cimbros, Getas, Scythas, vsque ad Roxolanos; supra vero Roxolanos omnia esse incognita [7]). Quos autem scriptores hic sibi habuerit praeeuntes, non admodum obscurum est. Fuere enim hi *rerum Cimbricarum auctores;* inter quos primum locum occupat *Posidonius.* Ex hoc enim scriptore, quem nomine quoque addito citat [8]), omnia desumta esse, quae de Cimbris, de eorum sedibus in Chersoneso Taurica, ac expeditionibus narrantur, dubium prorsus esse nequit. Accedunt ad hos *Historici bellorum Mithridaticorum;* ex quibus quae in sequentibus de Chersoneso Taurica ac quae ei adiacent regionibus habet Strabo, petita sunt. Eminet autem inter hos quoque *Posidonius;* cuius Historias vsque ad finem bellorum Mithridaticorum deductas fuisse, alio loco docuimus. Posidonio itaque deberi [9]), quae Strabo de terris illis narrat, tantum non omnia, pro explorato habeo. Quae enim *Ephorus,* quem semel hic citat [1]), de terris illis tradiderat, ad sola fere poëtarum commenta redire, ex ipso Strabone apparet. Reliquos, quos laudat singulis tantum locis inspexisse videtur. Est ex his *Apollodorus* Grammaticus, qui commentarium in Catalogum nauium composuerat, quem frustra contendit Homerum accusasse quod

6) p. 451. 452. 7) p. 471.
8) p. 453. 9) cf. p. 474. 1) p. 463.

Scythas ignorauerit [2]); ac *Ptolemaeus* praeterea Soter, hiſtoriae Alexandri ſcriptor, in lepida narratione de Gallorum ſeu Celtarum ad Alexandrum, cum apud Triballos verſaretur, legatione, qui quid maxime timerent? interoganti, nihil aliud reſponderunt, quam quod coelem ruat [3]). Ad ſcriptores rerum Mithridaticarum pertinuiſſe quoque videtur *Apollonides* [4]), quem ſemel in hoc libro, iterata vice in Armeniae deſcriptione, citat; ac ni fallor quoque *Hypſicrates* [5]), ſiue is Amiſenus fuerit, ſiue alius, quem L. XI. regionum ad Caucaſum admodum gnarum fuiſſe dicit.

Vltima libri ſeptimi pars deſtinata eſt a Geographo deſcriptioni Illyrici ac regionum ad Danubium ac in occidentali Ponti littore ſitarum. Inſigni autem diligentia verſatus eſt in hac geographiae ſuae parte; fontes quos adiit in vniuerſum quidem non obſcuri ſunt; difficilis tamen eſt quaeſtio ſi ad ſingula deſcendis. Sunt plura vbi ea tantum enarrare videtur, quae ipſe viderat; velut quae de viis habet, quas Romani ibi ſtrauerant [6]); ſunt alia quae ex ſcriptoribus hauſta ſunt; non vno alteroue, ſed pluribus [7]). Eſt ex his *Ariſtoteles*, in opere deperdito de ciuitatibus; in quo Acarnanum, Megarenſium, Aetolorum ac Opuntiorum quoque reſpublicas deſcriptas fuiſſe, ex noſtro diſcimus [8]). Magna tamen hic quoque apud eum fuit *Polybii* autoritas [9]), inprimis in indicandis menſuris; magna quoque *Poſidonii* [1]); ſed quid alterutri debeatur non ſemper definire licet. Quae de gentibus Epiri narrat, ex parte ſaltem ex *Theopompo* deſumta ſunt [2]); quae de rebus mythicis ex *Ephoro* [3]). In diſquiſitione de Dodona eiusque oraculo praeter Ephorum conſultauit *Philochorum*, rerum

2) p. 832. 3) p. 462. 4) p. 474.
5) p. 479. 6) p. 497. 7) p. 482.
8) p. 495. 9) p. 481. 488. 497. 1) p. 487.
2) p. 498. 3) p. 501.

Atticarum ſcriptorem [4]), cum *Apollodoro* grammatico, Homeri interprete [5]). Addit hisce adhuc *Cineam*, de quo nil praeter nomen conſtat [6]); quae enim ex eo enotauerat, cum reliquis, quae finem libri huius conſtituebant, interiere.

Lib. VIII. IX. X.

Tres hosce libros Geographus deſtinauit Graeciae deſcriptioni; eosdem fere in omnibus duces ſecutus. Agit vero libro octauo de Peloponneſo; libro nono de Attica, ac reliquis mediae Graeciae regionibus cum Theſſalia; libro decimo denique de Epiro ac inſulis adiacentibus. Fundum autem omnis huius diſquiſitionis ponit *Homerum;* hunc enim primum Graeciae geographiam exhibuiſſe [7]); ac tantam eſſe eius prae ceteris auctoritatem, vt ab eo ſemper ordiendum ſit. Deſcendit itaque ad antiquitates Graeciae, quas ſimul ex hiſtoricorum traditis, qui eas vel geographice vt *Ephorus* ac *Polybius*, vel phyſice, vt *Poſidonius* et *Hipparchus* tractauerant, vel vt *Artemidorus* et *Timoſthenes* ſeorſim de littoribus ac portubus egerant, illuſtrat; in ſubſidium ſimul vocatis Homeri in catalogum nauium interpretibus [8]). Quae autem de praeſenti Graeciae ſtatu addit, ex iis hauſta ſunt, quae ipſe viderat. Praemiſſis itaque in fronte libri octaui nonnullis de ſtirpibus Graecorum ac de terminis Graeciae, in quibus definiendis *Ephorum* ſequitur [9]), ambitus Peloponneſi tum ſecundum Polybium tum ſecundum Artemidorum conſtituitur. Dum autem ad ſingula pergit, incipit ab Elide; adducit loca Homeri eo ſpectantia; ex interpretibus ſaepius nominat *Apollodorum* ac *Demetrium Scepſium;* quos ſubintelligendos quoque puto, vbi nominibus non additis in vniuerſum tantum, eſſe qui hoc vel illud opinentur, pronuntiat. Vbi vero tempora mythica attingit,

4) p. 505. 5) Ibid. 6) p. 507.
7) p. 512. 8) Ibid. 9) p. 515.

aliorum quoque poëtarum, velut Pindari, Antimachi, Sophoclis, Stesichori et Callimachi testimonia affert [1]). In rebus tamen mythicis hic quoque insignis apud eum est *Ephori* autoritas; cuius integram narrationem de Elidis occupatione ab Aetolis facta recepit [2]). Ex eodem fonte profluxerunt, quae de antiquo Messeniae statu, ac de bellis Messeniacis narrat [3]), in subsidium tamen vocatis Philochoro ac Callisthene [4]), qui in Hellenicorum libris haec tractauerat. Ex Ephoro porro desumta sunt, quae de Peloponnesi diuisione ab Heraclidis facta [5]), magna quoque ex parte quae de Spartanorum republica legimus [6]). Ex reliquis, quos in Peloponnesi descriptione consultauit, nominandi sunt *Hellanicus*, *Demetrius Scepsius*, *Theopompus*, *Thucydides* [7]), et passim quoque *Aristoteles* [8]) in opere supra laudato de ciuitatibus. Addendus autem hisce est *Polybius*, ex quo quae de Achaici foederis forma ac institutis legimus, petita sunt [9]). In definiendis autem interuallis locorum comparauit cum eo *Artemidorum* ac *Eratosthenem* [1]).

Sequitur libro nono primum Attica; cuius dimensiones ex *Eudoxo*, Mathematico, repetiit [2]). In antiquitatibus terrae consultauit Atthidum scriptores; discedere quidem eos a se inuicem in nonnullis [3]); in plurimis tamen conuenire. Laudantur ex iis nomine addito *Philochorus* et *Andron* [4]); quem eundem esse cum Androtione, a Pausania et aliis saepius laudato, suspicati iam sunt interpretes. Ex *Philochoro* tamen petita sunt, quae de initiis ciuitatis Atheniensium habet [5]). Inspexit quoque *Demetrii*

---

1) p. 534. 2) p. 547 etc. 3) p. 554.
4) p. 557. 5) p. 560. 6) Ibid.
7) p. 568. 572. 575. 8) p. 572. 584. 9) p. 591.
1) p. 597. 2) p. 598. 3) p. 600.
4) p. 601. 5) p. 609.

Phalerei de vrbis Athenarum ſtatu, qualis ſua aetate eſſet, commentarios [6]). Quae mox de Boeotia, eius hiſtoria et antiquitate tradit, partim quidem deſumta ſunt ex *Ephoro* [7]); maxime tamen, quod ipſe profitetur, ex iis, qui in catalogum Homeri, i. e. eſt *Apollodoro* et aliis, commentati ſunt [8]). Poſt Boeotiam ſequitur Phocis cum Parnaſſo, in quo vrbs et oraculum Delphicum. Plura de eo tradit Geographus, magna ex parte deſumta ex *Ephoro*; quo ſe in antiquitate explicanda prae aliis vti ſolere, ipſe hic profitetur; etſi eum ſimul reprehendit quod fabuloſa nimis miſcuerit veris; ac mythica non ſatis diſtinxerit [9]) ab hiſtoricis. Eosdem duces ſequitur in deſcribenda duplici Locrorum ciuitate; *Theopompo* tamen iterum et *Thucydide* in ſubſidium vocatis [1]). Vltimam vero libri partem occupat Theſſaliae chorographia; quam fere commentarium dixeris in Homeri loca, vbi de Theſſalis agit; ratione ſemper habita interpretum, qui in ea commentati ſunt.

Reliqua Graeciae continentur libro decimo. Orditur autem Geographus ab Euboea inſula. In dimenſionibus conſentit fere cum Plinio; in antiquitatibus inſulae explicandis plures conſultauit [2]); Homeri nempe interpretes; tum vero *Theopompum* ac *Ariſtotelem* in libro ſupra laudato. Ab Euboea inſula tranſit in continentem; ſequitur enim Acarnaniae ac Aetoliae deſcriptio, ac inſularum obiacentium. Sunt haec fere omnia Homerica. Laudatur praeterea poëta Epicus qui Alcmaeonidem conſcripſerat [3]), quem in nonnullis ſecutus erat Ephorus. *Apollodorum, Demetrium Scepſium* cum

6) Ibid. 7) p. 614. 615. 616. 8) p. 637.
9) p. 646. 647. 1) p. 648. 649. 2) p. 682. 683. 685.
3) p. 695.

cum *Artemidoro* saepius citatos inuenies [4]). Acarnaniae autem antiquitates dum tractat, longa interponitur *Ephori* commentatio, qui Acarnanes expeditioni contra Ilium adfuisse negauerat [5]). Ex eodem autem scriptore quae de prisco Aetoliae statu legimus, deriuata sunt [6]). Omnino autem hac occasione oblata Strabo suum de Ephoro iudicium exponit; quem quidem a Polybio taxatum esse, quod in nonnullis errauerit; Polybium tamen eandem ob causam reprehensum esse ab Apollodoro et Posidonio; maxime ob distantiarum rationes [7]). Hisce vero scriptoribus cum Strabo ipse prae aliis vsus sit, veniam sibi dandam esse a lectoribus, si forte cum iis in errores inciderit. Ex Aetolia autem, dum transitum parat in Cretam insulam, longum interponitur de Curetibus episodium a Geographo [8]). Ingentem hic esse auctorum, qui de rebus Creticis et Phrygiis scripsere, dissensum; vnde multos a Strabone consultatos esse, clarum est. Copiose de Curetibus egerat *Demetrius Scepsius*; cui cum multum omnino tribueret Strabo, hic quoque insignis apud eum eius videtur fuisse auctoritas [9]). Ex reliquis laudat *Archemachum*, rerum Euboeicarum scriptorem [1]); saepius Athenaeo commemoratum; *Pherecydem Syrum*, *Acusilaum Argiuum* [2]), qui Hesiodi mythos pedestri oratione exposuerat; ac *Stesimbrotum* Thasium, Polycratis aequalem; qui in commentario περὶ τελετῶν de Curetibus egerat [3]). Nec poëtarum, Pindari, Sophoclis, et aliorum commenta neglexit. Vltima pars libri complectitur maris Aegei insulas; vbi primum de Creta, tunc de minoribus agitur. Princeps rerum Creticarum scriptor erat *Sosicrates*; quem Apollodorum,

---

4) p. 696. 700. 705. 5) p. 709. 710. 6) p. 711.
7) p. 712. 713. 8) p. 715 etc. 9) p. 724.
1) p. 713. cf. Athenaeum VI, p. 264. vbi liber tertius citatur.
2) cf. Voss. p. 5. 3) Voss. ibid.

(gramaticum nempe) in commentario in Homerum ſecutum eſſe, teſtatur Strabo [4]); vnde non miraberis, ſi magna eius apud eum fuerit auctoritas. *Eudoxi* tamen ſimul, *Artemidori*, ac *Hieronymi* (Cardiani nempe, ſucceſſorum Alexandri M. hiſtoriographi) menſurae afferuntur [5]). Additur his *Staphylus Naucratita*, cuius Theſſalica quidem ac Aeolica aliunde cognita ſunt [6]); de Creta, num proprium commentarium compoſuerit, incertum eſt. Copioſe quoque de Creta ſcripſerat *Ephorus*; ex quo, ipſo Strabone teſte, quae de Cretenſium republica habet excerpta ſunt [7]). Inſulas maris Aegaei, ſeu Cycladas, enumerauerat *Artemidorus*; egiſſe autem de iis videtur quoque *Demetrius Scepſius* [8]). Ceterum cum Strabo ipſe inſulas haſce viſitauerat, quae de iis commemorat non ex aliorum traditis, ſed potius ex iis quae ipſe viderat, fluxere [9]).

---

4) p. 727. 5) Ibid. 6) Voſſ. p. 416.
7) p. 735. 8) p. 743. 749. 9) p. 743.

DE
FONTIBUS GEOGRAPHICORUM STRABONIS
COMMENTATIO ALTERA

AUCTORE

A. H. L. HEEREN.

PRAELECTA IN CONSESSU REG. SOCIETATIS AD D. X. AUGUSTI MDCCCXXII.

Expofitis a me, Sodales, pro virili in priore commentatione fontibus, quibus Strabo decem prioribus libris Geographiae fuae vfus eft, reftat iam altera pars, quae difputationem de feptem reliquis libris continebit. Egerat autem Geographus, praemiffa libro primo et fecundo difquifitione de geographia generali feu cofmographia, inde a libro tertio vsque ad finem decimi de Europa eiusque regionibus. Superfunt itaque ex terrae partibus fua aetate cognitis, Afia atque Africa; de quibus nunc loquendum erit. Repetenda autem hic funt, antequam ipfum examen inftituam, quae in priori difputatione monui, fcilicet non omnia apud Strabonem ex libris defumta effe; pendere eum haud raro ab auctoritate peregrinatorum fuae aetatis, quorum traditis fidem habuit; inprimis autem, cum ipfe, antequam opus fuum fcribere inciperet, longa itinera inftituerit, permulta, ac in pluribus locis tantum non omnia fluxiffe ex iis, quae ipfe oculatus teftis obferuauerat. Quod itaque a me poftulari poteft, primo loco illud erit, vt bene diftinguam quae ipfe viderat; quae porro ex peregrinatorum, quos adiit, narratis, quae denique ex libris

quos euoluit, desumta sint, seu desumta esse videantur; tum vero vt de autoribus hisce instituatur disquisitio, vt qui fuerint, et quae fides ipsis tribuenda sit, appareat. Sequemur autem ordinem librorum.

Lib. XI.

Incipit ab hoc libro Asiae descriptio. Diuiditur autem omnis Asia a Geographo in duas partes; scilicet in eam quae *intra* Taurum, et eam quae *extra* Taurum sita est [1]). Taurus enim, ab occasu versus ortum porrectus, Asiam, Straboni cognitam, mediam fere, cinguli instar, diuidebat; latitudine trium fere millium stadiorum; longitudine, inde a continenti Rhodo opposita, vbi incipit, vsque ad extremitates Indiae ac Scythiae orientalis, quadraginta quinque millium stadiorum; in quo Eratosthenem sequitur [2]). Incipit autem Taurus in australi Asiae minoris ora, Pisidia nempe et Cilicia; quare ea pars Asiae quae *intra* Taurum dicitur, omnes complectitur Asiae regiones Tauro versus *arctum*; quae *extra* Taurum, reliquas ipsi versus *austrum* sitas; quae in ipso Tauro, ac mediis montibus iacent, ob aeris similitudinem, cum frigidiora sint, septentrionali parti adiunguntur. Asiae atque Europae terminum ponit Tanain fluuium [3]), cum Eratosthene et aliis; reliqua Asiae, si isthmum, qui mare internum a sinu Arabico disterminat, exceperis, oceano cinguntur. Omnis autem Asia intra Taurum in quatuor partes diuiditur [4]); quarum prima continet regiones quae inter Tanain Maeotin et Pontum, et mare Caspium sitae sunt; altera, quae supra Caspium mare ac Scythas Indis propinquos; tertia, quae isthmo inter mare Caspium et pontum, seu Caucaso, versus meridiem iacent, Mediam nempe Armeniam ac Cappadociam vsque ad Halyn fluuium; quarta de-

1) Strabo l. XI. p. 751. Almelov.
2) Strabo l. II. p. 119.
3) L. XI. p. 752.
4) l. c. p. 753.

nique Asiam minorem intra Halyn cum insulis adiacentibus, de quibus itaque iam singulatim videndum erit. Continetur autem omnis haec disputatio apud nostrum totidem libris; inde nempe ab vndecimo vsque ad finem decimi quarti.

Incipit itaque a Tanai fluuio; cuius ostia quidem cognita esse; superiora parum explorata; fontes plane obscuros. Certiora iam tradiderat Herodotus 5); qui Tanain ex lacu prouenire docuerat; ac Scytharum gentes, ripas eius accolentes, enumerat. Dubitationem scilicet mouerant geographo recentiorum commenta; qui de Tanais cursu longe diuersa tradiderant; cum essent, qui eum, a Caucasiis montibus ortum, primum versus septentrionem ferri, indeque retro labentem in Maeotin exire; alii qui eum e superioribus Istri fontibus descendere contenderent 6). Sequitur accurata littoris, tum Maeotidis, tum Ponti vsque ad Phasin fluuium, vrbiumque ibi conditarum, ac commerciorum quae exercebant, descriptio; quae quidem omnia, nisi forte ipse Strabo loca ea adierit, ex nautarum potius ac mercatorum, quam ex scriptorum traditis hausta esse puto. Interiecta enim est quoque rerum sua aetate in locis illis gestarum narratio; velut de Polemone rege 7), qui vrbem Tanain vastauerat. In distantiarum seu interuallorum mensura autem *Artemidorum* secutus est; qui omnem hanc oram inde a Batis vsque ad Dioscuriadem vrbem emensus erat 8).

Excipit hanc littoris ac vrbium in eo sitarum enumerationem, regionum in ipso Caucaso, Iberiae nempe et Albaniae descriptio. Includitur Iberia secundum nostrum Caucasiis montibus; bene est habitata; aedibus et pagis abundat; in medio planities est, fluuiis irrigua, quorum maximus est Cyrus, qui in mare

5) Herod. IV, 57.
6) Strab. VI, p. 754.
7) p. 758.
8) p. 760.

Caſpium ſeſe exonerat; ab altera autem parte Phaſis fluuius, qui in Pontum exit [9]). Curſum horum fluuiorum; additis quoque nominibus eorum qui in eos incidunt, deſcribere non neglexit. Populi quoque inſtituta exponit; quatuor nempe eſſe Iberum genera [1]); nobiles, ex quibus reges deliguntur; ſacerdotes; milites cum agricolis; et quarto denique loco infimae ſortis homines, ad ſeruitia depreſſos. Poſt Iberos de Albania eiusque incolis agit. Abundare eam fructibus et plantis omnis generis; bene eſſe irrigatam; melius quam ipſa Babylonia ac Aegyptus [2]). De populi quoque moribus, cultu, inſtitutis et belli et pacis, plura legimus. Quae quidem omnia, vnde petita ſint, ſatis luculenter prodidit Strabo. Primum enim, quod ad interualla vrbium ac ſtationum attinet, conſultauit *Artemidorum;* ex quo nomine addito, quae de ordine legimus, quo vrbes ac gentes illarum regionum ſeſe excipiunt, depromta ſunt [3]). De Artemidoro eiusque Geographicis, quae periplum fuiſſe oſtendimus, etſi paſſim quoque mediterranea attigerat, in priori commentatione actum eſt. Maiorem tamen fidem quam Artemidoro ac Eratoſtheni in his locis adhibendam eſſe *rerum Mithridaticarum ſcriptoribus* [4]), qui ordine paulum diuerſo populos ibi habitantes deſcripſerant. Cum enim Mithridates regiones illas peruagatus eſſet, Pompeius autem eum perſequendo arma iis intuliſſet, non immerito auctoritatem horum ſcriptorum prioribus praeferendam duxit.

Quod ad ſcriptores rerum Mithridaticarum attinet, ſupra iam in priori commentatione eos recenſuimus; ſunt enim hi qui Luculli et Pompeii maxime res contra Mithridatem geſtas enarrauerant. Eminet inter hos *Theophanes* Mitylenaeus, Pompeii comes ſimul et laudator; quem inter primos aetatis ſuae

9) p. 764. 1) p. 765. 2) p. 766.
3) p. 760. 4) l. c.

historiographos ponit Strabo [5]). Petita ex eo esse non dubito quae de claustris, per quae Pompeius et Canidius in Iberiam penetrauerant, legimus [6]). Praeter Theophanem tamen certum est, adhibuisse Strabonem *Posidonium*; in iis maxime, quae de populorum moribus, institutis ac religionibus habet; quae semper accurate et copiose persequi solebat Posidonius [7]). Addendi vero his sunt duo alii, apud nostrum commemorati; *Metrodorus* scilicet *Scepsius*; et *Hypsicrates Amisenus*. Metrodorus Scepsius, e philosopho in ciuilem mutatus hominem, Mithridati inter comites fuit et amicos, ac a rege ad summos honores euectus; iudicis enim supremi, a cuius sententia ne ad regem quidem liceret prouocare, officio eum praeposuit; legatum praeterea ad Tigranem Armeniae regem misit; vbi tamen fide fracta ab eo defecit; scripsit vero periegesin, seu orbis descriptionem [9]). Hypsicratem, qui descriptionem isthmi inter Pontum ac mare Caspium reliquisse videtur, libro iam septimo commemorauerat noster; qui num idem fuerit cum eo quem inter longaeuos recenset Lucianus, in medio relinquo [1]); de vtroque autem recte iudicat Strabo eos locorum non ignaros fuisse, cum Hypsicrates ex vicina Amiso vrbe ortus esset, Metrodorus autem, Mithridatis comes, ipse ea inspexisset.

In regionibus, quas Strabo hic describit, sedes quondam fuerat Amazonum, si poëtarum commentis fides habenda; quare agere de iis in excursu non alienum duxit a proposito [2]). Occasionem nempe praebuerat Hypsicrates modo commemoratus, qui Amazonas Gargarensibus confines fuisse, ac in radicibus Caucasi

---

5) l. XIII. p. 918. 6) p. 765.

7) Desumta certe sunt ex scriptore belli a Pompeio gesti cf. p. 768.

8) p. 769. 9) Voss. de Hist. gr. p. 136.

1) cf. de eo Voss. p. 516. vbi male pro Strabone legitur Polybius.

2) p. 770 etc.

habitasse, asseruerat. Quae autem proxime sequuntur de Amazonibus ex hoc Hypsicratis scripto petita esse, dubitari nequit, arctissime enim coniungitur earum cum Gargarensibus historia, quibus ille eas confines posuerat. Ceterum non sine causa miratur Strabo, fabulam de Amazonibus apud historiae quoque scriptores tam diu locum obtinuisse. Debetur hoc autem maxime rerum Alexandri M. scriptoribus; qui, veris fabulosa admiscentes, eas congressu eius cum Thalestri Amazonum regina exornare, non dubitauerant. Fuit ex his Clitarchus, leuis fidei scriptor, de quo in commentationibus in Plutarchum egimus, cum multis aliis. Quid tamen mirum, cum bellorum Mithridaticorum scriptores eam adhuc repetierint? vt Strabo sua aetate, ἔτι καὶ νῦν, eam vigere dicat [3]). Ex Plutarcho enim discimus Pompeii quoque laudatores tradidisse, in pugna cum Albanis Amazonas hisce auxilium tulisse; cum enim milites praedam colligerent, multas repertas esse in ea peltas, quas Amazones gestasse dicuntur; nulla tamen feminarum corpora [4]). Fabulosas quoque de Caucaso narrationes, quas affert Strabo, ex Clitarcho et aliis eiusdem farinae scriptoribus depromtas esse, non dubito; saniora tamen quae iis subiungit de Caucasi populis Mithridaticis iterum scriptoribus debentur, siue Theophani, siue Posidonio; quod clarum est ex iis, quae de Pharnace, qui Bospori illa aetate regnum obtinebat, commemorat [5]).

Descriptis regionibus et gentibus Caucasi, pergit scriptor ad eam partem Asiae intra Taurum, quae mari Caspio versus orientem est. Incipit autem ab ipsius maris Caspii descriptione. Hic autem est quod miremur, falsam prorsus de maris huius natura

3) p. 770. 771. 4) Plutarch. in Pompeio Op. I, p. 638.
5) p. 772.

natura opinionem geographum concepiſſe, cum illud non pro lacu, ſed pro ſinu Oceani borealis haberet. Meliora certe hic quoque docere potuiſſet Herodotus, qui non maris huius tantum indolem, ſed ambitum quoque, longitudine eius et latitudine ſatis accurate conſtituta, cognitum habebat [6]). Quomodo igitur factum ſit, vt Strabo in hunc errorem inciderit, iure quaeritur. Obtinuit tamen haec ſententia poſt Strabonis quoque aetatem; repetitam enim eam inuenies apud Plinium [7]); etſi Diodorus Siculus veriora prodiderat [8]). Debetur autem, quantum inueſtigare potui, Alexandri M. comitibus. Ante enim huius regis tempora apud neminem eam deprehendi; quid? quod ipſe adhuc Ariſtoteles in Meteorologicis veram eius figuram indicat; ſeiunctum eſſe ab Oceano, ac circumquaque accolas habere [9]). Alexander vero, cum in interiora Caucaſi non penetraret, accurata quoque maris Caſpii notitia expeditione eius non potuit parari. Quare non admodum mirum, comites eius meris coniecturis indulſiſſe; ac cum ex Indico mari ſinum in continentem Aſiae incurrere viderent, Perſicum nempe, boreale quoque Aſiae latus ſinu non carere crediṅiſſe; adeoque mare Caſpium pro ſinu hoc boreali habuiſſe. Fieri inde debebat, vt ſpatium illud, quod inter mare Caſpium et Oceanum borealem iacet, vel nullum, vel omnino minus crederent, quam reuera eſt, eodemque modo orientalem Aſiae partem in breuius contraherent. Acceſſit forte praeterea turpe adulandi ſtudium. Cum enim magna pars Aſiae, quae inter Tanain et Oceanum eſt, Macedonibus non pareret, quodammodo conficere ſtuduerunt, vt ſaltem fama iactaret, non eſſe ibi regiones, quas armis ſubigere operae pretium fuiſſet. Fuere quoque qui contenderent, paludem Maeotin cohae-

6) Herod. I, cap. 203.
7) Plin. VI, 15.
8) Diod. II, p. 261.
9) Ariſtotel. Meteorol. II, 1.

rere cum mari Caſpio. Fuit ex his *Polycletus Lariſſaeus* [1]), incertae aetatis, qui opere ſatis ſpiſſo, librum enim octauum laudat Athenaeus [2]), hiſtoriam Alexandri deſcripſerat. Tantum itaque abfuit, ut Alexandri expeditione terrae illae magis e tenebris emergerent, ut potius altius iis obducerentur. Quis primus ex ſcriptoribus mare Caſpium ſinum Oceani dixerit, definire non audeo. Fuit tamen ex iis *Patrocles*, cuius ſumma apud Strabonem eſt auctoritas. Si Plinium audimus, Patrocles mendaciorum faber fuiſſet. Scripſiſſe enim eum perhibet, ſe cum Seleuco et Antiocho, quorum claſſi praefectus fuit, Aſiam verſus orientem circumnauigaſſe, et in maris Caſpii receſſibus ancoras iecisse [3]). Sed meliora de eo tradit Strabo. Eum nempe, cum ab Antiocho et Seleuco Aſiae ſuperiori praefectus fuiſſet, regionum iſtarum deſcriptionem confeciſſe, fide digniſſimam; ſimulque *coniectura ductum* in eam opinionem incidiſſe, mare Caſpium, quod ponto Euxino aequale putabat, ſinum Oceani eſſe, adeoque ex eius faucibus Indiam *nauigari poſſe* [4]). Hisce itaque ſcriptoribus in errores quoque inductus eſt Strabo; a quibus ſecurus manſiſſet, ſi Herodoto debitam fidem praeſtitiſſet. Verum eius iudicio facilius quis Homero ac Heſiodo fidem adhibuerit, vbi de heroibus loquuntur, quam Herodoto, Cteſiae et Hellanico [5]). De Cteſia et Hellanico hic non loquor; quam iniqua autem ſit eius de Herodoto ſententia, norunt omnes, qui Herodotum nouerint. Ceterum illud recte monet, pleriſque quoque eorum, qui de Alexandro ſcripſere, ſi Patroclem exceperis, non nimiam adhibendam eſſe fidem [6]).

---

1) p. 777.
2) Athen. XII, p. 539.
3) Plin. VI, 21.
4) Strab. l. II, p. 127. cf. p. 789.
5) p. 774.
6) Ibid.

Exposita maris Caspii natura, pergit scriptor ad regiones, mari huic versus orientem sitas; Hyrcaniam nempe, Parthiam, ac vastas illas populorum Nomadicam vitam agentium sedes [7]. Ad sinistrum nempe maris Caspii latus vagari Daas; post hos esse solitudines; tunc sequi Hyrcaniam. Plures ibi commemorat gentes ad ima montium in Armeniorum et Albanorum finibus, quos Patrocles nominauerat. Hyrcaniam amplam admodum esse, bene habitatam, ac mira fertilitate. Quae de Hyrcania prodit ex *Patrocle* deriuata esse, dubium non est; ipse enim, dum *Eratosthenem* et *Aristobulum* testes affert, Patroclis tradita ab iis repetita esse addit [8]. De Eratosthene non dubito; Aristobulum tamen, Alexandri comitem, ante Patroclem, iam scripsisse crediderim. Quidquid sit, quae de locis hisce populisque ibi degentibus tradit Geographus, ex Patrocle, Eratosthene et Aristobulo hausta esse, quibus tamen addimus *Polycletum*, supra iam commemoratum, certum est. Sequuntur plura tum de Sacis tum de Massagetis. Quae de Sacis narrat, ex rerum Mithridaticarum scriptoribus depromta sunt, maxime *Posidonio*, vt quae de Dea Anaitide eiusque cultu perhibet [9]. In Massagetarum vero descriptione, omnino *Herodotum* ducem sibi elegit, quod iam in annotationibus ostendit Casaubonus [1]. Quae autem haec excipiunt, nempe de Chorasmiis, Bactrianis et Sogdianis, cum locorum interuallis ac mensuris, magna ex parte ex *Eratosthene* hausit [2].

Sequitur Parthia, cum terris adiacentibus. Sunt quoque hic plura ex iisdem fontibus deriuata, non tamen omnia. Est enim alia scriptorum classis quibus multum tribuit, quos hic consultavit, *rerum* scilicet *Parthicarum scriptores*. Omnino enim bellis inter Romanos ac Parthos gestis, terras illas primum apertas esse.

7) p. 775. 8) p. 776. 9) p. 779.
1) p. 780. 2) p. 782. vbi nominat Eratosthenem.
3) p. 783. 785.

Eminet inter illos *Apollodorus Artemites*, ad cuius auctoritatem saepe prouocat Strabo [3]). Aetas quidem eius non accurate constitui potest; cum tamen Romanorum cum Parthis bella sub Antonio demum inceperint, non longe ante geographum floruisse videtur. Enarrauerat vero in Parthicis suis Apollodorus regni quoque Bactriani fata et conuersiones; inde ab initio eius vsque ad interitum. Debemus vero Apollodoro locum insignem, in quo Geographus de regno hoc nonnulla saltem memoriae prodidit [4]); de quo sine eo nil fere quam nomen constaret. Desumta enim haec omnia esse ex Apollodoro clarum erit, si quae p. 786. ex eo refert, (ibi enim pro Apollonio Adramytteno legendum esse Apollodorum Artemitam docuerunt iam interpretes;) contuleris. In describendis tamen hisce regionibus Strabonem plures testes adhibuisse, patet ex iis quae de Oxo fluuio eiusque cursu habet; vbi *alios* haec, *alios* alia tradere auctor est [5]); quos tamen singulos inuestigare non amplius licet. Reliqua, quae de Sogdiana, eius vrbibus ac fluuiis refert, ex Alexandri comitibus, Aristobulo maxime et Patrocle, petita sunt. Patet quoque ex his Strabonem non immerito Patroclem sibi ducem elegisse, qui de fluuiis Sogdianae, Oxo ac Jaxarte, de eorum cursu, ac interuallo quod ostia eorum disterminat, veritati consentanea prodiderat [6]). Subiungit hisce auctor nonnulla mirabilia, apud Derbices, Caspios, Hyrcanos et alios obuia, partim ex Herodoto, partim ex aliis, quos Aelianus quoque compilauit, descripta [7]). Vlteriora autem Scythiae plane esse incognita; cum nullae omnino expeditiones in ea susceptae fuerint [8]). Videmus itaque Strabonis de Asia notitiam arctis admodum limitibus circumscriptam fuisse; cum quas nos Asiae septentrionali annumeramus regiones plane ipsi incognitae manserint; ex parte autem media, quae vastas illas re-

3) p. 783. 785. 4) p. 783 etc. 5) p. 788.
6) p. 788. 7) cf. Not. Casaub. 8) p. 788.

giones a populis Tartaricae ac Mogolicae originis habitatas comprehendit, pars tantum auſtralis in notitiam venerit. Redit autem tunc Geographus ad Caucaſum; deſignat curſum fluuiorum ab eo deſcendentium, Euphratis ſcilicet et Tigris; ac auſtralem Tauri partem, quae Armeniam a Babylonia ſeparat, deſcribit; vbi in nonnullis diſcedit ab Eratoſthene; qui paulo aliter haec conſtituerat [9]).

His expoſitis Mediae deſcriptionem aggreditur; quae in duas partes, Mediam nempe magnam et paruam, Atropatene dictam, diuiditur; ab Atropato duce, qui obſtiterat ne in Macedonum poteſtatem veniret, ſic vocatam [1]); ſucceſſionem autem eius ſua adhuc aetate ibi durare. In Mediae huius minoris deſcriptione laudat *Apollonidem*, libro quoque VII. citatum, qui neſcio num ſcriptoribus de Mithridate annumerandus ſit, an vero idem fuerit quem periplum Europae condidiſſe auctor eſt Apollonii Scholiaſtes [2]). Dux tamen praecipuus ipſi fuiſſe videtur *Adelphius* quidam ſeu potius *Dellius* [3]), Antonii in expeditione contra Parthos comes, ac parti exercitus praefectus; cuius hiſtoriam conſcripſerat; de quo in commentatione quarta in Plutarchi vitas egimus; qui cum ipſe regiones illas adiiſſet, non immerito teſtis adhibetur a Geographo. Quae denique verſus finem libri de Armenia eiusque regibus, imprimis Tigrane narrat, ea iterum ex ſcriptoribus de rebus Mithridaticis deſumta eſſe, res ipſa docet; cum Tigranes Mithridati et cognatione et foedere iunctus eſſet.

Lib. XII.

Expoſita in libro vndecimo regionum circa mare Caſpium natura, ac populorum ibi habitantium indole, verſus occidentem

---

9) p. 793.
1) p. 794.
2) l. IV, v. 983. cf. Voſſ. p. 328.
3) p. 794.

redit Geographus, ac terrarum, quae Aſiae minoris nomine comprehenduntur, geographiam exhibet. Procedit autem eo ordine, vt primum de ſeptentrionali peninſulae parte agat; incipit enim a Cappadocia; quam excipiunt Pontus, Paphlagonia et Bithynia; ex interioribus vero regionibus Phrygia et Galatia. Et haec quidem ſunt, quae libro hoc duodecimo continentur. Loquitur autem hic Geographus de regionibus in quibus natus erat, ac iuuentutem, forte quoque virilis aetatis partem, tranſegerat. Ortus enim erat, quod ipſe teſtatur [4]), ex vrbe Amaſea, nobili familia, quae et in adminiſtranda republica ſub Ponti regibus partes ſuas habuerat. Aliam itaque horum librorum, ſi de fontibus quaeris, rationem eſſe, quam libri vndecimi, quis non videt? Raro enim hic pendet Geographus ab aliorum teſtimoniis; narrat quae ipſe praeſens viderat. Propoſitum enim ſibi eſſe dicit, explicare ſtatum harum regionum, qualis *ſua aetate* eſſet [5]); interſpergere autem ex antiquitate ſe tantum nonnulla, commoda occaſione oblata. Quare noſtrum quoque eſt, ea excutere quae ex ſcriptorum teſtimoniis tradit; reliqua breuiter indicare ſatis erit.

Cappadociae, a qua incipit, veros terminos ponit eosdem cum lingua Cappadocum; veteres tamen ſeparatam ab ea poſuiſſe Cataoniam, quamuis incolae eius eadem cum Cappadocibus vtantur lingua [6]); omnino vero Cappadociam varias mutationes ſubiiſſe. Ante Perſarum enim tempora Cappadociae nomine comprehenſam quoque fuiſſe Pontum; ſeparaſſe hunc ab ea Perſas, ac duo ſatrapias conſtituiſſe, Cappadociam ſcilicet magnam ſeu proprie ſic dictam, ac Cappadociam ad Pontum ſeu Ponticam [7]). Antiquam Cappadociae magnae conſtitutionem ignorari; explicat

5) p. 816. Ημῖν δὲ ὡς νῦν ἔχει λεγέσθω, μικρὰ καὶ τῶν προτέρων ἐφαπτομένοις, ὅπου τοῦτο χρήσιμον·

6) p. 806. 7) p. 818.

itaque ſtatum recentiorem, qualis ſub regibus a Romanis creatis, Ariobarzane ac Archelao fuerat; ſiue haec auditu perceperit, ſiue ex ſcriptoribus Mithridaticis hauſerit. In deſcriptione regionis facile agnoſces oculatum teſtem; ipſe quoque ſe in peregrinatione ibi praeſentem fuiſſe commemorat [8]), vbi de Comana, Cappadociae vrbe loquitur, ac inclyto quod ibi erat Bellonae templo, cuius ſummus pontifex, regio plerumque genere ortus, imperium et vrbis et circumiacentis regionis tenebat. Quae Strabo de hoc templo ac aliis huic ſimilibus tum in Cappadocia tum in Ponto tradit, maxime ſunt memorabilia; plures enim fuiſſe in his terris, vt in Syria, ſummos ſacerdotes, qui ſimul principes eſſent, ac ſeuerum in ſubditos, quos Hierodulos vocant, qui ſeruili erant conditione, imperium exercerent, inde diſcimus.

Cappadociam apud noſtrum excipit Pontus; quem quondam partem eius fuiſſe, modo monuimus. Stat hic geographus promiſſis, vt ſtatum, qualis ſua aetate eſſet, explicet; quae de populis, olim hanc terram habitantibus admiſcet, partim ex *Theopompo*, partim ex aliis petita ſunt [9]). Praeter Theopompum enim ſe *Herodotum* quoque *Hellanicum* ac *Ephorum* ad manus habuiſſe, mox ipſe, nominibus eorum additis, teſtatur [1]). Paſſim quoque inſpexit rerum Mithridaticarum ſcriptores; ex quibus quae de Sinope vrbe, quae Mithridatis erat regia, et quae de regno a Pompeio Deiotaro conceſſo, eiusque ambitu habet, deſumta ſunt [2]). Mox in Amiſi vrbis hiſtoria *Theopompum* iterum teſtem aduocat [3]); in aliis, velut quae de Moſynoecis narrat, bellorum Mithridaticorum iterum commentarios inſpexit; reliqua produnt ſcriptorem, qui, quae narrat, ſuis oculis viderat. Dum autem Chalybum et Halizonum mentio iniicitur, quaeſtionem attingit,

8) p. 809.
9) p. 816. 822.
1) p. 819. 820.
2) p. 821.
3) p. 823.

vbi eruditioni locus erat. Disputationem itaque hic instituit contra Apollodorum, qui in commentario in catalogum nauium Halizonas *extra* Halyn fluuium posuerat. Qua occasione oblata aliorum quoque de Halizonibus sententias recenset, Ephori nempe et Demetrii Scepsii, qui de Hecataei Milesii, in terrae periodo, de Menecratis Elaitae in Hellesponti periplo, et Palaephati denique placitis de Halizonibus ac Amazonibus egerat [4]).

Redit tunc Geographus ad propositum, ac orientalem Ponti partem describit, cuius imperium tunc obtinebat femina Pythodoris, quae annuentibus Romanis marito Polemoni post eius mortem in regnum successerat [5]). Quae de eius historia ac Pompeii rebus gestis commemorat, ex *Theophane*, quem ipse citat, maxima saltem ex parte petita sunt [6]); minime enim, cum plures essent rerum Pompeii scriptores omnia ex vnico fonte deriuata esse contenderim. Sequuntur alia, vrbis patriae Amaseae, ac inprimis vrbis ac templi Comanorum in Ponto, eodem nomine, eodem cultu ac iisdem institutis, (nam hic quoque imperium apud summum pontificem erat,) de quibus supra in Cappadocia locuti sumus, descriptio; in quibus oculatum testem facile agnosces [7]).

Pergit tunc ad Galatiam; de qua, antequam praesentem conditionem exponit, nonnulla de pristino statu praemittit; quae quidem ex rerum Mithridaticarum scriptore, qui haec, episodio forte, attigit, desumta esse autumo, saepius enim Pompeii eiusque actorum mentio iniicitur [8]). Galatiam constat prius fuisse Phrygiae partem; quae iterum Mysiae contermina est; fines tamen distinguere admodum difficile est secundum Strabonem. Confundi quoque

4) p. 828 - 832. 5) p. 833. 6) Ibid.
7) p. 837. 8) p. 851.

quoque Myſos cum Lydis, quos Homerus Maeones dicit [9]. Origines quoque Lydorum dubias eſſe; cum ſint qui eos Thraces, ſint qui eos Myſos faciant [1]. Tueri nempe hanc ſententiam *Xanthum* Lydum; et *Menecratem* Elaitam [2]. Xanthum Lydum, qui pluribus libris Lydiaca conſcripſit, ex quibus haec quoque procul dubio petita ſunt, Herodoti fere aequalem, mox inter antiquos ſcriptores commemorat Strabo [3]. Eiusdem fere aetatis fuit Menecrates Elaita; Hecataei nempe Mileſii aequalis; qui Helleſponti periodum conſcripſerat; ex qua quae hic commemorantur petita eſſe, dubitari nequit [4]. Ex iisdem autem fontibus deriuata eſſe, quae de Myſorum et Phrygum antiquitate ſubiungit, admodum probabile eſt. Quae autem de Cycico vrbe, cuius in bellis Mithridaticis inſigne eſt nomen, eiusque inſtitutis enarrat, ex horum bellorum ſcriptoribus, qui res a Lucullo geſtas tradiderant, ſiue is Poſidonius fuerit, ſiue alius, hauſta eſſe puto.

Lib. XIII.

Continuatur hoc libro Aſiae minoris deſcriptio; orae nempe maritimae, quae a Cycico vrbe vsque ad Cumas et finem Aeolidis procurrit; cum oppoſitis inſulis, quarum praecipua eſt Lesbos, et mediterraneis, quae ſupra hanc oram ſita ſunt. Statim autem Geographo hic ſe obtulit regio, nominis ſplendore et antiquitatis gloria, ſi quae alia inſignis, Troiana ſcilicet terra. Oſtendimus in priori commentatione, quantam fidem Strabo in geographicis diſquiſitionibus tribuerit Homero; vt adeo vix aliter exſpectari poterat, quam vt, dum quaeſtionem de agro Troiano copioſe ac ſumma cura tractaret, Homeri carmina fundum diſputationis faceret. Cum autem ante eum iam multi fuiſſent, qui in explicanda Homerica regionis huius deſcriptione ſtudium po-

9) p. 857. 1) Ibid. 2) p. 837.
3) p. 869. 4) cf. Voſſ., p. 441 et 451.

fuerant, non admodum mirandum, eos haud raro in diuersa abiisse; quod statim in ambitu eius constituendo iam factum esse, annotat Strabo. Fuere ex his, quos nomine addito citat, *Eudoxus*, *Damastes*, *Charon*, *Scylax* et *Ephorus* [5]). Ephoro multum tribuisse Strabonem in rebus mythicis, saepius iam cum de eo loqueremur ostendimus; quare quoque, quae statim in initio libri de Aeolum in Asiam migratione, ac vrbibus ibi conditis legimus, ex eo desumta esse, nullus dubito. Eudoxus est Cnidius, cuius γης περιοδος, in qua haec quoque tractari debuere, pluribus libris constabat. Damasten Sigeum, qui paulo ante bellum Peloponnesiacum floruit, nouimus ex Dionysio Halicarnasseo, qui eum Hellanico Lesbio et Xantho Lydio aequalem ponit [6]). Legebatur autem eius opus περὶ ἐθνῶν, a Stephano citatum [7]). Scylax Caryandensis idem est, cuius γης περιοδον, seu periplum potius maris mediterranei ac Ponti Euxini, adhuc legimus; Charon denique Lampsacenus, Xerxi vt volunt aequalis, Persarum in Graeciam incursiones, quae Troianum quoque agrum attingere debebant, duobus libris conscripserat [8]). Addimus hisce Callisthenem, saepius a nostro laudatum, qui Alexandrum in Asiam secutus, postea ex gratia regis excidit, ac supplicio affectus periit. Ediderat commentarios de expeditione Alexandri [9]); in quibus passim vrbium quoque antiquitates explicasse videtur. Inter scriptores tamen, qui de antiqua Troade egerunt, eminet ante omnes *Demetrius*, ex vrbe Scepsi in media hac regione ortus, vnde *Scepsius* dicitur. Aequalis erat Aristarcho, paullo tamen iunior; ac cum Romani Antiochum Magnum debellarent, iuvenili adhuc aetate. Inscripserat opus suum: Τρωϊκὸς διάκοσμος,

---

5) p. 873. 6) Dionys. Hal. I. 1. p. 59.
7) Steph. de vrb. in ὑπερβορεοι. 8) Voss. p. 442 ex Suida.
9) Scripta eius recenset Voss. p. 40. etc.

Recenfio Troica [1]). Commentatus enim erat in locum Iliadis de Troiana acie, et quidem tanta cura, vt explicandis fexaginta non amplius Homeri verfibus triginta libros impleuerit. Ducem autem fibi primarium in hac difquifitione elegerat Strabo, ad cuius autoritatem faepe prouocat [2]). In plerisque enim fe cenfere affentiendum effe Demetrio, homini perito, et locorum in quibus natus fuerit gnaro. Depromta itaque funt ex eo plurima, quae de prifca et vrbis et agri Troiani conditione, de monte Ida, de vrbe Scepfi legimus; praeterea quoque, ni fallor, quae de fatis bibliothecae Ariftotelis, quae in vrbe Scepfi feruabatur, verfus finem libri narrat nofter. Interualla quoque locorum hic ex eo enotata funt; in fequentibus tamen [3]) iterum ex Artemidoro. *Ephorum* quoque infpexit et *Thucydidem* [4]). Ceterum non omnia ex libris haufta effe, fed Strabonem ipfum loca vifitaffe, ipfa narratio docet. In originibus vero Troianorum inueftigandis, in varias partes difcedere autores; cum fint qui eos ex Attica, plures vero qui ex Creta infula eos deriuarent. Fuere ex his, quos recentiores vocat; ac inter eos *Lycurgus* rhetor, qui declamationibus fuis gratiam Ilienfium captauerat [5]); ex antiquis vero *Hellanicus*, et *Menecrates* inprimis Elaita, fupra laudatus; qui librum *περὶ κτίσεων* [6]) fiue *origine vrbium* confcripferat. Ex eodem hoc Menecrate defumta funt, quae mox infra de Pelasgis, et eorum in littore Afiae minoris fedibus habet Geographus; omnem enim oram, poftea Joniam dictam, inde a Mycale promontorio, vsque ad infulas Lefbo vicinas, quondam ab iis habitatam fuiffe [7]).

---

1) Saepe fub hoc titulo laudatur ab *Athenaeo*, qui p. 423. librum XXVI. citat.

2) p. 887. 894 et 900. 3) p. 923. 4) p. 896.

5) p. 898. 6) p. 922. 7) p. 922.

Descripta vero iam ora Troiana et Lydia, ad mediterranea pergit; vbi statim occurrit vrbs celeberrima Pergamus, sub Attalicis regibus florentissima; quorum seriem in excursu exponit [8]). Quem ducem hic secutus sit, dicere non habeo; fuit tamen scriptor, qui post interitum regni Pergameni demum historias suas condiderat, cuius vltima quoque fata commemorat; ni fallor Posidonius. In sequentibus, vbi de Lydorum ac Mysorum populis agit, vnde singula depromta sint, non semper accurate distingui potest; certum tamen est, duces quorum vestigia premit non diversos fuisse ab iis, quos nominauimus; saepe enim ad Demetrii Scepsii, interdum vero Artemidori [9]), Herodoti, Callisthenis et Theopompi auctoritatem recurrit.

Lib. XIV.

Pergit in hoc libro Geographus in descriptione Asiae Minoris, ac quae adhuc supererant tractat. Agit itaque de Ioniae ora maritima eiusque mediterraneis; de insulis Samo ac Rhodo ac littore iis opposito; de regionibus Asiae minoris australibus, Lycia, Cilicia et Pamphylia; ac de Cypro denique insula. Continuatur itaque, atque ad finem perducitur, priorum librorum enarratio; vnde ex iisdem fere autoritatibus eam pendere, ac vix nouas exspectari posse, per se patet. Initio itaque facto ab Ionia, de vrbibus Graecorum ibi conditis loquitur, de Mileto, Epheso et aliis; quarum origines et antiquitates ex *Pherecyde* Syro, qui Ionum migrationes descripserat, repetuntur [1]); in subsidium quoque vocatis poëtarum testimoniis, vt Mimnermi, et Hipponactis Ephesii [2]). In Mileti fundatione et initiis consultauit quoque *Ephorum* [3]); in coloniis autem a Milesiis deductis *Anaximenem* Lampsacenum; Alexandri comitem, ac vrbis patriae,

8) p. 925. 9) p. 923. 930. 1) p. 938.
2) p. 940. 3) p. 941.

cum a rege defeciſſet, ſaluatorem [4]). Legebatur autem eius opus *πρῶται ἱστορίαι* inſcriptum [5]); quae teſte Diodoro Siculo omnem Graecorum hiſtoriam inde ab antiquiſſimis temporibus vsque ad Epaminondae mortem continebant. Quae de Polycratis tyrannide in Samo inſula narrat, ex *Herodoto* [7]), quae de Atheniensium in eam expeditione ex *Thucydide* petita ſunt [8]). In Epheſi vrbis, quae ſua aetate quotidie augebatur locorum ac ſitus opportunitate, vt primum eſſet Aſiae emporium, ac inoliti eius templi, Dianae conſecrati hiſtoria, praeeuntem ſibi habuit *Artemidorum*, qui Timaei calumnias Epheſios templum illud e Perſarum depoſitis conſtruxiſſe, refellerat [9]). Poſteriora quoque vrbis fata, cum ipſe, vt cauſam eius ageret, legatus Romam miſſus eſſet, Artemidorus enarrauerat [1]). In reliquis quoque Ioniae vrbibus eosdem auctores ſecutus eſt; in rebus mythicis *Pherecydem* et *Ephorum*; ita tamen vt poëtarum quoque, Heſiodi, Pindari, Callini et aliorum teſtimonia adiungeret [2]); in recentioribus *Poſidonium*; addit praeterea quae ipſe auditu et viſu perceperat. Vltima regni Pergami, ac Ariſtonici, fruſtra illud ſibi vindicantis, fata ac interitum [3]) ex Poſidonio quoque hauſta eſſe puto; qui haec pro conſilio operis tractare debuit. Sequitur Rhodi vrbis deſcriptio, quam ipſe viſitauerat Geographus. In iis, quae de antiquitatibus vrbis et inſulae tradit, plures ſeſe conſultaſſe ipſe prodit [4]); qui poëtae potius ac mythographi quam hiſtoriae ſcriptores fuiſſe videntur; nomina tamen non addidit. Quae mox de Artemiſia, Cariae regina narrat, procul dubio ex rerum

---

4) p. 941. 5) Sic eas laudat Athen. VI. p. 231.
6) Diod. l. XV. 7) Herod. III, 139.
8) Thucyd. I, 3. 9) p. 949.
1) p. 951. Erat nempe Artemidorus Epheſius, vnde non mirum, eum in geographia ſua copioſius de vrbe patria locutum eſſe.
2) p. 951. 952. 3) p. 957. 4) p. 967.

Alexandri ſcriptore aliquo petita ſunt; deducitur enim narratio ad eius vſque tempora, ac rerum ordinem ab eo conſtitutum [5]). In iis quae de Carum, quos βαρβαροφωνους vocat Homerus, lingua diſputat, reprehendit Apollodorum grammaticum; ad manus autem habuit ſcriptum *Philippi* cuiusdam, qui Carica ſcripſerat. Nouimus hunc Philippum ex Athenaeo, qui eum Theangulenſem vocat, ac librum eius citat περὶ Καρῶν καὶ Λελεγων, ad quem reſpicit noſter [6]). Locorum autem ac vrbium intervalla iterum ex *Artemidoro* petita ſunt [7]); quem quoque praeeuntem ſibi habuit, in iis quae de Lyciorum conuentu ac inſtitutis tradit [8]).

Mox vbi de Cilicia ſermo eſt, memorabilia inprimis ſunt, quae de mancipiorum exportatione et mercatu narrat [9]); cuius inſigne emporium Seleucidarum aetate erat Delos inſula; cum, poſt deletam Carthaginem et Corinthum Romanis multorum ſeruorum vſus eſſe coepit. Auctorem, quem Strabo hic ſecutus eſt, non nominat; clarum tamen eſt, eum ſcripſiſſe poſt belli piratici a Pompeio geſti tempora, ex iis quae de Pompeiopolis in Cilicia, in quam piratarum ſedes transferebantur, origine tradit. Equidem non dubito noſtrum hic iterum *Poſidonium* ſecutum eſſe; agnoſces enim ſcriptorem qui Romanorum acta laudare ſeu excuſare ſtuduit [*]). Quae vero de Malli vrbis initiis commemorat, partim ex poëtarum, Sophoclis maxime [1]), partim ex ſcriptoris περι κτισεων, Menecratis forte Elaitae, ſupra commemorati, commentis deſumta ſunt. Deſcendit tunc Geographus ad diſceptationem cum Apollodoro Grammatico, qui in commentario in catalogum nauium tum de Troianorum ſociis, tum de forma peninſulae Aſiae minoris falſa propinauerat;

5) p. 971. 972. 6) Athen. VI, p. 271. 7) p. 978. 980.
8) p. 980. 9) p. 985. *) Ibid.
1) p. 993.

tum Homeri verba conturbaret, ac Ephori sententiam male intelligeret [2]).

Claudit librum Cypri insulae descriptio. Ambitus insulae ac locorum distantiae cum pluribus aliis procul dubio ex *Artemidoro* desumtae sunt [3]). Corrigit enim non Damastem modo, qui poëtarum commentis fidem adhibuerat; sed ipsum quoque Eratosthenem, qui hic in errores inciderat; quos emendare solitum erat Artemidoro.

Lib. XV.

Descripta iam ea Asiae parte, quae intra Taurum dicitur, pergit iam Geographus ad alteram extra Taurum sitam; i. e. ut supra declarauimus, quae Tauro versus meridiem est. Complectitur ea Syriam, Arabiam, Babyloniam, Persin, omnemque Indiam. Incipit autem ab oriente, nempe ab India; ac ita progreditur versus occidentem. Continet itaque liber XV. Indiae ac Persiae descriptionem. Agitur vero iam de regionibus, quas Geographus nunquam ipse adierat; peregrinationes enim ab eo susceptas versus occidentem institutas fuisse, supra vidimus. Pendet itaque hic auctor unice a scriptorum qui de terris hisce commentati erant traditis; qui quales fuerint iam excutiendum erit.

Antequam autem Indiae descriptionem aggreditur, statim monet Geographus, aequum hic animum adhibendum esse a lectoribus, cum India remotissima sit terrarum; et pauci admodum sua aetate, ac hi quoque in cursu tantum vel transitu, eam viderint [4]). Parum itaque eos inter se conuenire; quod iam iis qui Alexandrum comitati sint euenerit. Verum eos quoque, qui post illos de locis illis scripserint, aut qui sua aetate eo nauigent, nihil fere certi pronuntiare [5]). Quae, cum ipse profiteatur

---

2) p. 995. 3) p. 1000. 1003. 4) p. 1005.
5) p. 1006.

Strabo, plenam et accuratam Indiae descriptionem minime exspectabis. Cum enim, quod mox probabimus, *Eratosthenem* sibi eligeret ducem primarium, falsam, quam ille conceperat de Indiae forma imaginem, suam fecit. Rhomboidis enim figuram tribuit Indiae, ita ut duo maiora latera, australe nempe et boreale, duo minora orientale et occidentale tribus millibus stadiorum exsuperent [6]. Clarum itaque est, eum latus australe recta linea procurrere credidisse; ac peninsulae Decan dictae nullam prorsus notionem habuisse. Ex citeriori autem India eam tantum partem quae inter Indum ac Hypanin fluuium sita est, accuratius nouit; nam de iis quae vltra Hypanin sunt parum constare, cum pauci admodum mercatores ad Gangem vsque penetrauerint. Ex omnibus Indiae vrbibus Taxilam tantum ac Pattala ad Indum, ad Gangem autem Palibothra commemorat; nullum in omni australi littore portum, nullum emporium; etsi de Taprobane insula, cui octo millium stadiorum longitudinem Eratosthenes tribuerat, plura tradit [7]. De Indorum autem terra si pauca tantum narrat, in describendis contra populi institutis ac moribus admodum est copiosus; vt eum potius ethnographiam quam geographiam Indiae condidisse dixeris. Minime tamen haec amplius miraberis, simulac duces, quos sibi praeeuntes habuit, noueris. Sunt enim hi vnice Alexandri comites; et qui mox post Alexandrum sub Seleucidis Indiam adierant, ac de ea scripserant; ex quibus suam iterum Indiae descriptionem, quae tertio Geographiae suae libro continebatur, Eratosthenes composuerat. Hunc vero *Eratosthenem* se ducem sibi elegisse, ipse indicat Geographus; ita tamen vt subinde *Megasthenis*, *Patroclis*, *Nearchi*, *Onesicriti*, *Daimachi*, *Aristobuli* et *Clitarchi* testimonia ex eorum scriptis repeteret [8]. Fidem ex hisce maxime adhibuit Patrocli

6) p. 1010. 7) p. 1012. 8) p. 1009.

Patrocli et Ariſtobulo; poſt hos Megaſtheni et Nearcho; nullam autem fere Oneſicrito, Daimacho et Clitarcho, qui multa fabuloſa inter vera receperant. De Patrocle, ſuperioris Aſiae ſub Seleuco Nicatore praefecto, ſupra iam dictum eſt; Ariſtobulum, Alexandri comitem, nouimus ex Arriano, qui eum cum Ptolemaeo veraciſſimum ſcriptorem nominat [9]). Megaſthenis, Seleuci Nicatoris ad Sandrocottum Indiae regem legati narratio, etſi eam interdum reprehendit, tantum non omnis recepta eſt à Strabone; Nearchi, claſſis Alexandri praefecti, periplus ſeruatus eſt ab Arriano in Indicis; Oneſicriti et Clitarchi fidem, qui ambo Alexandri res geſtas deſcripſerant, admodum ſuſpectam fuiſſe, in diſputatione noſtra de Plutarchi fontibus iam oſtendimus; Daimachum autem, Antiochi ad regem Indorum Allotrachidem legatum, in Indicis ſuis ficta pro veris venditaſſe, iam in primo operis ſui libro conqueſtus erat Strabo. Quae autem ſingulis locis ex hiſce auctoribus exſcripſit docere, plane ſuperfluum foret; cum nomina eorum, vbi ad eos prouocat, vbiuis fere addita ſint. Addendi hiſce ſunt, ſemel tantum hoc libro commemorati, *Artemidorus* in commentario de Gangis fluuii curſu [1]); qui neſcio num diuerſus fuerit a maiori opere; *Nicolaus Damaſcenus* qui legatos, ex Taprobane inſula ad Auguſtum miſſos, conuenerat [2]); *Megillus* denique, de quo praeter nomen illud tantum conſtat, eum de oryzae cultura ſcripſiſſe [3]).

Poſt Indiam, dum verſus occidentem pergit, ſequuntur Perſici regni prouinciae, quae Indiam contingunt. Comprehendit eas Geographus communi Arianae nomine; cuius fines ponit verſus orientem Indum fluuium; verſus occidentem lineam, quae a Caſpiis portis ad oſtia ſinus Perſici ducitur; verſus auſtrum vero

9) Arrian. p. 1. 1) p. 1047. 2) Ibid.
3) p. 1015.

ac boream mare tum Indicum tum feptentrionale; vt figura eius fit quadrilatera. Defcriptionem incipit ab auftro, Gedrofia nempe et Ichthyophagorum ora; quae omnis ex *Nearchi* periplo defumta eft; nonnulla quoque ex *Oneficrito*. Quod autem ad interiora attinet, ipfe profitetur non meliora fe proponere poffe, quam quae *Eratofthenes* exhibuerat [4]; Eratofthenem autem ex Ariftobulo et aliis, quos paffim quoque nominat nofter, tradita fua petiiffe, faepius iam monuimus. In dimenfionibus tamen regionum adhibet praeterea auctoritatem eorum, qui Alexandro itinerum dimenfores fuerant; *Bacton* nempe et *Diognetus*, quos nouimus ex Plinio et aliis [5]. Quae denique de Carmania tradit, ex iisdem fontibus, *Nearchi* nempe et *Oneficriti* periplis, haufta funt.

Supereft Perfis regio, proprie fic dicta. Longitudinem et latitudinem eius tradit ex *Eratofthene*; reliqua maximam partem ex *Polycleto* [6]; de cuius opere, quo Alexandri expeditionem enarrauerat, fupra L. XI. locuti fumus. Quae de fluuiis, eorum oftiis, ac omnino de ora Perfidis tradit, ex *Nearcho* et *Oneficrito* deriuata funt; quae de Perfepoli et Pafargadis, totidem fere verbis ex *Ariftobulo* apud Arrianum legimus [7]. Excipit haec defcriptio morum et religionum Perfarum. Quae de ignis cultu in locis facris feu Pyraeis, quorum magna copia in Cappadocia erat, tradit, fe ipfum vidiffe annotat [8]; quae de moribus ac inftitutis Perfarum partim ex *Herodoto*, nonnulla quoque ex *Xenophonte* in Cyropaedia defumta funt.

4) p. 1033.

5) p. 1053. Ad hos referenda effe verba ὡς ἐν τοῖς Ἀσιατικοῖς σταθμοῖς ἀναγεγραπται vidit iam Cafaub.

6) p. 1059. 7) Arrian. p. 144. 8) p. 1065. 1066.

LIB. XVI.

Pergit Geographus hoc libro in descriptione Asiae extra Taurum; sequuntur autem regiones Asiae occidentales; Assyria, Babylonia, Mesopotamia; Syria cum Phoenicia et Palaestina, ac denique Arabia. Assyriae autem nomen tam late apud eum patet, vt praeter Adiabenen, proprie sic dictam, comprehendat simul Mesopotamiam, Babyloniam cum Syria; adeoque terras quae quondam sub Assyriorum imperio fuere. Incipit autem descriptionem ab Aturia [9]) i. e. regione, quae Ninum vrbem cum campis vicinis ad Lycum seu Zabum fluuium cum Gangamela vrbe vbi Darius imperium amisit, continet. Est itaque pars Assyriae sensu arctiori. Quae vero de locis hisce tradit, satis produnt, ea ex scriptore de rebus Alexandri petita esse [1]) Ex eodem autem fonte, nisi quod ex Herodoto nonnulla repetiit, profluxere quae de Babylonia ac Babyloniorum vrbe legimus. Consultauerat vero *Aristobulum*, quem quoque nominat [2]); ac praeter eum *Polycletum* ac *Eratosthenem* [3]). Quae tamen mox de Parthorum imperio, ac vrbibus in eo sitis subiungit, ex scriptore bellorum Mithridaticorum petita sunt; quem neminem alium fuisse autumo quam *Posidonium*. Rerum enim a Pompeio contra Tigranem gestarum mentio iniicitur [4]). Quae sequuntur de aggeribus lapideis, quibus Persae Tigris fluuii nauigationem obstruxerant, legimus quoque apud Arrianum [5]); vnde certum est ex *Aristobulo* vel *Nearcho* ea petita esse, quem quoque nomine addito laudat. Quae haec excipiunt, de Babyloniorum moribus ac institutis, partim quidem ex *Herodoto*, longe tamen plurima ex *Posidonio* petita sunt; quem nostrum in hisce

9) p. 1070. 1) cf. p. 1072. 2) p. 1076.
3) p. 1077. 4) p. 1078. 5) Arrian. p. 156.

rebus ducem ſibi prae aliis elegiſſe, ſaepius iam monuimus In ſequenti Meſopotamiae ac Syriae deſcriptione non omnia ex libris ſcriptis deſumta ſunt; viſitauit enim Geographus hasce regiones; quod ex iis clarum eſt, quae de Sidone vrbe commemorat [7]). Dimenſiones ex *Eratoſthene* et *Artemidoro* petitae ſunt [8]), reliqua omnia debentur *Poſidonio*; ea inprimis quae ex Seleucidarum hiſtoria addidit [9]). Excipit haec locus inſignis de Moſe et Iudaeis [1]); fuiſſe nempe Moſen ex ſacerdotibus Aegyptiis; eorum tamen ſuperſtitiones ac beſtiarum maxime cultum damnaſſe; Graecorum quoque religiones, qui deos humana forma praeditos colerent, improbaſſe; ac ſummi numinis, coeli ac terrae domini, cultum inſtauraſſe; et templum, vnice eo dignum, abſque ſimulacro, conſtrui iuſſiſſe. Deduxiſſe autem Moſen populum ſuum in eas partes, vbi nunc ſint condita Hieroſolyma ac non contemnendum imperium ibi obtinuiſſe. In quibus quamuis falſa nonnulla veris immixta ſunt, longe tamen abſunt ab aliorum de Iudaeis fabulis, ac in eos calumniis; quare vnde deducta ſint, recte quaeritur. Conſtat autem primo, Strabonem hic ſcriptorem ante oculos habuiſſe, qui res Iudaeorum a Pompeio, Mithridate iam debellato, ordinatas, ac vrbis Hieroſolymarum obſidionem ac occupationem a Pompeio factam, deſcripſerat [2]); quem quidem iterum *Poſidonium* fuiſſe autumo. Attigerat enim Poſidonius Iudaeorum res; teſtem enim eum adhibet Strabo in deſcriptione maris mortui, ac commerciorum cum bitumine ei innatante [3]). Subiungit tamen ſcriptor nonnulla ex gentis Herodianorum hiſtoria, Pompeio ac Poſidonio recen-

---

6) p. 1082. 7) p. 1098. 8) p. 1083. 1102. 1103.
9) p. 1106. 1) p. 1104. 1105.
2) cf. p. 1106. 3) p. 1108.

tiora; quae num fama perceperit, an vero ex *Nicolai* forte *Damasceni*, Herodis M. familiaris, historiis petierit, in medio relinquo.

Syriam ac Palaestinam excipit Arabia. Incipit autem Geographus a latere orientali, adeoque sinus Persici ora; vbi de Gerrhaeorum vrbe ac commerciis agit. Desumta sunt haec omnia, ipso Strabone [4]) teste, ex *Eratosthene*, quem saepius laudat. Excipit haec partis occidentalis descriptio; qua tamen simul comprehendit oppositam sinus Arabici oram, usque ad terram cinnamomiferam. Alium autem ducem hic sibi elegit Strabo, *Artemidorum* scilicet, qui in opere geographico maris quoque rubri periplum exhibuerat; ita tamen, ut interiora quoque terrarum subinde describeret [5]). Artemidorus autem unde sua hauserit, minime dubium est. Exscripserat nempe *Agatharchidem*, qui maris rubri, i. e. Indici cum sinu Arabico descriptionem reliquerat; ex quo multa enotauit Diodorus, quae totidem fere verbis apud Strabonem legimus.

Reliqua, quae sub finem libri de Arabia tradit, non ex libris scriptis, sed ex colloquiis virorum, qui terras illas adierant, hausta sunt. Est ex his *Athenodorus* Stoicus, Tarsensis, quem Augustus Tiberio praeceptorem dederat *), cuius familiaritate vtebatur noster. Adierat ille Petram, Nabataeorum metropolin in confiniis Arabiae ac Syriae sitam, insigne Arabum emporium, Demetrii iam Poliorcetis aetate, qui illud occupauit,

---

4) p. 1110-1112. 5) p. 1114. etc.

*) De eo Voss. p. 144.

celebre [6]). Peruenerat autem praeterea Strabo, dum in Alexandria moraretur, in *Aelii Galli*, Aegypti praefecti amicitiam, qui expeditionem in Arabiam felicem, minime felici exitu susceperat. Deceptus enim erat a Syllaeo quodam, ac in solitudines ac loca arenosa deductus, vbi maiorem exercitus sui partem amisit [7]).

Lib. XVII.

Superest vltimus liber, reliqua Lybiae complectens. Agit ibi Geographus primo de Nilo, eius fontibus, cursu ac ostiis, auctorem vero quem in his sequitur statim in fronte indicat, *Eratosthenem* [8]); qui causas quoque annui fluminis incrementi, imbres nempe quibus Aethiopia abundat, ex Aristotele exposuerat; Aristotelem autem sua ex Thrasyalce, de quo nil nisi nomen constat, sumsisse [9]). Ceterum sua adhuc aetate plures de Nilo scripsisse, ex quibus *Eudorum* nominat ac *Aristonem* [1]); quorum tamen alter alterum exscripserat. Aristo hic est Peripateticus, Alexandrinus, Augusteo aeuo clarus; de Eudoro solum tantum nomen superest. Sequitur tunc ipsius Aegypti descriptio, ampla et accurata, initio facto ab vrbe Alexandria. Constat autem, Strabonem omnem Aegyptum, a Nili ostiis vsque ad primas Catarrhactas visitasse, quod ipse testatur [2]). Narrat itaque, quae ipse viderat, si pauca quae de historia sub antiquis regibus, ac sub Ptolemaeis maxime admiscet, exceperis. Debentur haec partim *Polybio*, quem ipse

6) p. 1126. 7) p. 1127.
8) p. 1133. 9) p. 1139.
1) Ibid. 2) cf. p. 1136.

ipſe teſtem affert 3); ea autem quae tempora a Polybio deſcripta excedunt, ni fallor eius continuatori *Poſidonio*; Pompeii enim hiſtoriographum in iis agnoſcô 4). Quae porro de Alexandri ad Ammonis oraculum profectione narrat, ex Calliſthene, et aliis Alexandri comitibus deſumta ſunt 5). Ea denique, quae de locis ſupra Aegyptum commemorat, fluxerunt partim ex *Petrónii*, qui ſub Auguſto arma iis intulerat, narratis 6); partim ex *Agatharchidis* de rubro mari commentario; conueniunt enim cum iis quae Diodorus inde excerpſit; ſunt tamen nonnulla quoque, vbi Herodoti veſtigia premit 7).

Finita Aegypti, et Aethiopiae ſupra Aegyptum deſcriptione, ſupererat Lybia, de qua altera huius libri parte agitur. Falluntur tamen, qui Strabonis opere Lybiae notitiam admodum augeri opinantur; vltra enim Oaſes ac Ammonis templum nil ſe compertum habere ipſe profitetur 8). Sequitur vero *Eratoſthenem*; ac in dimenſionibus *Artemidorum*; Timoſthenem, Philadelphi nauarchum quem conſultauerat, reprehendit 9). Quae de populorum moribus tradit, probabile eſt ex Poſidonio deſumta eſſe, qui de Lybia ſcripſerat 1). Praeter hos citatur *Iphicrates*, incertae aetatis ſcriptor, Iugurtha tamen ac Mario recentior, qui de plantis et animalibus Lybiae ſcripſerat 2). Iubae quoque regis

---

3) p. 1148.
4) cf. p. 1147.
5) p. 1168.
6) p. 1175.
7) cf. p. 1179.
8) p. 1195.
9) p. 1184.
1) p. 1186.
2) p. 1183.

mentio iniicitur [3]); minime tamen, quod admodum mireris, principis litterati scriptorum; inter quae Plutarcho et Athenaeo teste fuerunt quoque de rebus Lybicis commentarii, tribus libris contenti, quos si inspexisset Geographus, minime dubito, quin plura ac certiora de interioribus Africae, quibus aegre admodum caremus, tradere potuisset [4]).

---

3) p. 1185.

4) τὰ περὶ Λιβύης συγγράμματα Plutarch. II, p. 311. Athen. III, p. 83.

